ALOYSII TRISSINI
NOBILIS VICENTINI, ET LAVDENSIS

Philosophiæ Naturalis olim in Ferrariensi Gymnasio

PROFESSORIS,

PROBLEMATVM MEDICINALIVM
ex sententia Galeni

LIBRI SEX POSTHVMI.

Ad Illustriss. Comitem


FABIVM TRISSINVM.





PATAVII,
Apud Franciscum Bolzetam. 1629.

Superiorum permissu.



ILLVSTRISS. COMITI

FABIO TRISSINO

Domino ſuo colendiſs.



VAM ſemper præclaros homines nobiliſſima Familia tua eduxerit, qui tum literarum gloriâ, tum militari laude claruerunt, nemini obſcurum eſt, Comes Illuſtriſſ. Ea enim non Italiâ ſolùm, ſed totâ Europâ, omnium vocibus & præconijs Semideorum Argos, & Heroum Berecynthia, celebratur, quæ ſenium nunquàm ſenſit, & incrementum ſemper habuit amplioris nobilitatis. Cuius ſplendor is eſt, vt eloquentiſſimos, & eruditiſſimos noſtræ ætatis Scriptores inuitarit, vt Latinâ, Italicâq; lin-

guâ eiusdem Originem panderent, egregia facta, non interrupto, vel antè ipsius etiam Seruatoris nostri natiuitatem, annorum cursu, suis Commentarijs illustrarent. Eorum recensere seriem, qui primis antè seculis claruerunt, iustam deposciit Historiæ narrationem, Epistolæ respuit angustias. Si id ego conarer, meritò in Poetæ reprehensionem inciderem.

Nam genus, & proauos, & quæ non
 fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

At verò hoc nostro tempore (vt antè actas ætates prætermittam) quot in Gentilitio tuo Stemmate litterarum laude florent? Duos ex multis referam, ambos, vt asceticâ professione, itâ pari eloquentiâ incredibiliq; doctrinâ conspicuos, Franciscum nempè fratrem tuum Societatis IESV, & Gasparem Somaschensis Congregationis, qui exhedras & suggesta in præcipuis Italiæ Vrbibus honestarunt, qui eruditissimis elucubrationibus posteritati consecratis id perfecerunt, vt omnes facilè intelligant, Palladem Illustriss. Trissinorum Familiæ esse Custodem, & Tutelarem. Cæterùm quis

nostrâ

noſtrâ memoriâ militari laude, te vno præſtantior, ſiuè animi excelſitas, ſiuè fortitudo ſpectetur, vel rei militaris ſcientia, aut felicitas prædicetur? Qui primâ ferè pueritiâ miles fuiſti, qui tertio nondùm exacto luſtro Cataphractorum equitum Ductor à Veneto Senatu es renuntiatus, cum ingenti multitudine hoſtium erumpente, varijs in Volturena factionibus emergentibus, graue belli incendium Italiæ videbatur imminere vniuerſæ. Armatum cubare perquàm frequens, & familiare tibi fuit, quo tempore cum lecta militum manu quædam limitanea loca defenderes, quà erumpere armatus vicinus hoſtis attentabat. Ob id nihil magis ſe peroptare dicebat Andreas Paruta, Generalis Veneti exercitus Imperator, quàm vt te hoſtium viribus exponeres, vt inter primas poſitum phalanges acriter dimicantem, ac neci hoſtes dedentem, eorundemq́; ſanguinem cruentum poſſet contemplari.


Quieſcente Italia bello in Germaniam profectus, Cæſarianis in caſtris, gloriæ tantùm cupidus, Honorarius miles eſſe voluiſti. At ibi quam laudem; immò quam lau-

ream militaris virtutis retulisti? Illud in primis, vt cæteras sileam commendatione dignissimas actiones tuas, excelsæ militaris tuæ virtutis argumento sit, quod cum hostili perduellium equitum acie in Olomaciensi agro circumuentus, dum oculis, & ferro in te exardescerent & sæuirent omnes, captiuumq; suum efficere conarentur, inuictâ animi, & corporis fortitudine plerisq; eorum fœdè cæsis, cæteris turpiter in fugam adactis, glande licet plumbeâ in iugulo sauciatus, triumphans tamen de hostibus feliciter Olomacium rediisti.

Quoniam verò, alter veluti Cæsar, cum rei militaris peritiâ literarum etiam laudem coniunxisti, spero hasce Aloysii Trissini, Gentilis tui doctissimi, lucubrationes, quæ Typis recuduntur, maximum, & ornamenti, & præsidii accepturas tui ex praeclarissimi nominis clientelâ. Eas ego tuæ virtuti deuoueo & sacro, obsidemq; esse volo meæ in te, vniuersamq; Familiam tuam obseruantiæ, & propensissimæ voluntatis. Vale Patauii è Bibliothecâ meâ, Kal. Iun. anni M DC XXIX.

Seruus addictissimus

Franciscus Bolzeta.



ALOYSIVS TRISSINVS NOB. VICENTINVS MEDICVS

Cynthio Ioanni Baptistæ Gyraldo Ferrariensi suo.

S. P. D.



N tibi iam, Cynthi doctissime, nostras illas primitias, hoc est, nostras illas ex summi illius ac diuini artis medicæ antistitis Galeni lectione excerptas ambiguitates, seu Problemata, mittimus. Hæc quæso lege, facque vt à præclarissimo ingenij tui lumine tantum splendoris accipiant, vt digna sint, quòd nomini tuo, pro nostræ ergà te summæ fidei testimonio, dicentur. Quòd si nec tu Cynthi, cuius splendori illustranda traduntur, eorum tenebras amouere poteris, ea Lemniaci Dei sacris vel vltrò trademus. Nam si, ex sanctissimo Platonis decreto, homines illi, qui nec à Musis, nec à Socrate, vel à Pythagorâ meliores effici poterant, prorsus è vitâ tollendi erant, quòd scilicet eò iam malitiæ prouecti essent, vt nullam ad animi salutem medicinam admitterent:

rent: ità ego ea, quæ ne ab ipſo quidem Cynthio, nedum à Muſis, meliora reddi poſſunt, ex luce hac, hominumq́ue memoriâ, iure optimo auferenda dijudico. Vale. Ferrariæ, Kalend. Iul. M. D. XLII.

CYN-

CYNTHIVS IO. BAPTISTA GYRALDVS

ALOYSIO TRISSINO SVO.

S. P. D.



ON alios mehercle fructus, nec alios prouentus ab hac ingenij tui felicitate, & ab hac tua benignitate, Trissine, expectabam, quàm eos, quos hodiè abs te suscepi: iampridem enim hanc tuæ virtutis indolem animo conceperam, statueramque fore aliquando, vt ego mirum in modum lætarer, me te familiarissimè vsum fuisse. Non fefellit autem opinionem meam tua singularis virtus, ac innata benignitas: nam & ea in ipso adolescentiæ limine edidisti, quæ nec prouectioris ætatis, nec longioris studij homines audent optare: & me tuæ gloriæ socium, quum ea sub nomine meo apparere volueris, benignissimè vocasti. Tantum igitur abest, vt ego (quod tu tuis literis à me petis) doctissima tua hæc, & ex se clarissima, ex Galeno προβλήματα, vel meis luminibus illustranda suscipiam, vel vt rudia & insulsa, nulliusque frugis, aut igni tradenda, aut ex hominum memoria abolenda censeam, quòd ego ea & immortalitate digna, & me ex ipsis ingentem gloriam esse assecutum arbiter,

ter, eaque Medicinæ studiosis maximæ vtilitati fore dijudicem. Ago igitur tibi gratias, & meo, & studiosorum omnium nomine pro hoc munere maximas, Deumque Opt. Max. assiduis precationibus oro ac obsecro, vt tua hæc incœpta fortunet. Spero enim propediem euenturum, vt omnis nostra (quod iam facit) veneretur ætas, vniuersa admiretur antiquitas, ac posteritas omnis æternùm concelebret. Vale.



ERV-



ERVDITISSIMORVM SCRIPTORVM PLACITIS

Auctoris ingenium, & virtus commendata.

CONRADVS GISNERVS

Hæc in suâ Bibliothecâ scripta reliquit.



LOYSIVS Trissinus Vicencentinus scripsit ex sententia Galeni Libros sex euulgatos Basileæ ab Insignorio 1546. & iuuenis adhùc docuit Ferrariæ. Obijt annos circiter vigintiquinque natus.

In tractatu de nobilitate, ab ANDREA TIRAQVELLO eruditissimè scripto lib. 31. nu.319. Venetæ editionis anni 1591. typis Andreæ Bochimi, inter celebres Medicinalium rerum Scriptores Aloysius Trissinus connumeratur.

CYNTHIVS GYRALDVS multa de Aloysij Trissini prodigioso ingenio habet, in tribus præsertim suis Epist. Italico sermone conscriptis quæ anno Dom. 1603. in volumine epistolarum virorum illustrium typis Fabricij Zanetti Taruisij cusæ omnium teruntur manibus; præcipue verò ea in Epistola, quam

Ga-

trer, eaque Medicinæ studiosis maximæ vtilitati fore diiudicem. Ago igitur tibi gratias, & meo, & studiosorum omnium nomine pro hoc munere maximas, Deumque Opt. Max. assiduis precationibus oro ac obsecro, vt tua hæc incœpta fortunet. Spero enim propediem euenturum, vt omnis nostra (quod iam facit) veneretur ætas, vniuersa admiretur antiquitas, ac posteritas omnis æternùm concelebret. Vale.



ERV-



ERVDITISSIMORVM SCRIPTORVM PLACITIS

Auctoris ingenium, & virtus commendata.

CONRADVS GISNERVS

Hæc in suâ Bibliothecâ scripta reliquit.



LOYSIVS Trissinus Vicentinus scripsit ex sententia Galeni Libros sex euulgatos Basileæ ab Insignorio 1546. & iuuenis adhùc docuit Ferrariæ. Obijt annos circiter vigintiquinque natus.

In tractatu de nobilitate, ab ANDREA TIRAQVELLO eruditissimè scripto lib. 31. nu.319. Venetæ editionis anni 1591. typis Andreæ Bochimi, inter celebres Medicinalium rerum Scriptores Aloysius Trissinus connumeratur.

CYNTHIVS GYRALDVS multa de Aloysij Trissini prodigioso ingenio habet, in tribus præsertim suis Epist. Italico sermone conscriptis quæ anno Dom. 1603. in volumine epistolarum virorum illustrium typis Fabricij Zanetti Taruisij cusa omnium teruntur manibus; præcipuè verò ea in Epistola, quam

Ga-

Gabrieli Trissino Aloysij fratri inscripsit, Tractatus quos idem Aloysius de Philosophia, & Medicina editurus scripserat, & Carmina Latina Italicaque musa, & multa praeterea alia (quae vtinam Haeredum iniuria non excidissent) honorificentissimè his verbis commemorat.

Et à voi tanto più appartiene hauer cura dell'immortalità sua, & di dar alla fama quel tempo, che gli è stato tolto alla vita, quanto egli amaua più voi d'ogni fratello. Hauendo egli adunque composte alcune cose, & Volgari, & Latine, & in verso, & in prosa, che apparteneuano à studij più humani, & alcune altre, che apparteneuano à quelli di Filosofia, & di Medicina, giudico che non sia se non bene, che facciate vna scielta di tutte quelle cose, & le lasciate vscir fuori à commune vtilità: che se bene non sono di quella perfettione, che sarebbbono state le più mature, pure come da l'vnghie si conosce il Leone, così da queste cosette, si farà giudicio di quello, che gli hauria fatto, se morte non vi si fosse interposta, e non hauesse tagliata la sua messe in herba. A me sarebbe di gran consolatione il vedere, che vi pigliaste cura dell'honor di quel fratello, che vi portaua sempre scolpito nel cuore, accioche s'egli non hà potuto mostrar pienamente la sua virtù, resti almeno viua nell'opinione de gl huomini. Et se per ciò vi farà mestieri, ch'io mi venga insino costà, perche gli si dia ispeditione, il farò molto volontieri. Ne mancherò alle fatiche di quello gentile spirito, la cui memoria dolce mi sarà sempre nella mente, &c.

Fran-

FRANCISCVS RVGERIVS Declamatione XXIII. quæ et Trutina inscribitur, doctissimos quàm plures viros recensens, qui Trissineam Familiam illustrarunt, eloquentissime Aloysium Trisinum hoc exornat elogio.

Sed agite Auditores, cum Aloysij memoriam referam, qui suæ ætatis ingeniorum Phœnix omnium eruditorum approbatione est proclamatus, quam vobis facem proponam. In hoc enim ego non admirabile esse censeo, quòd Problematum Medicinalium libros sex mira eruditione, & elegantia elucubrarit, & ediderit; quòd publicus Professor in Ferrariensi Gymnasio tota Italia, Europaque percelebri exedram magno nomine, auditorumq; frequentia occuparit; quòd Gisnerius egregio elogio, in suæ Bibliothecæ tesseram adscripserit: non, inquam, hoc magnifacio, cum illi hoc commune sit cum plurimis, illud admiratione dignum prædico, quod rarum, ipsa ferè raritate inauditum; incredibili, ingenij fælicitate eam consecutum fuisse gloriam, ad quam alij vix confecta ætate adspirant, cum quinto supra vigesimum anno quo omnium mœrore occubuit excedens è viuis, vita fæliciter, honestis officijs, & laudibus cumulata, sit adeptus immortalem hanc nominis celebritatem.


PAVLVS etiam BENIVS Lib. 2. Historiæ Trissineæ Genesis, Cap. 2. multa ab ijsdem formè Auctoribus petita de Aloysio scribit, qui eum anno sal. millesimo quingentesimo decimo nono natum, millesimo verò quingentesimo quadragesimoquarto extremum diem obijsse affirmat.

IA-

IACOBVS præterea PARCVS, qui primus omnium Basileæ hoc opus cudit, in Epistola ad Lectorem, hæc habet: Si verò diligentiam nostram æqui boniq; fecisse cognouerimus, sedulò etiam curabimus, vt reliqua, quæ ipse ex omnibus Galeni operibus collegit, pro tuo commodo in publicum prodeant.

IOHANNES demum IMPERIALIS, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, & bonarum artium studijs apprimè eruditus, qui ad Pauli Iouij stylum, Virorum illorum Illustrium, quorum ingenia Platonica Cyclopædia illustrauit, encomia scribit; Æuiterno Aloysij Trissini nomini, elogium Eruditissimè exarauit, quod quia propediem prælo committere parat, illud hic imprimendum nequaquàm duximus. Ne verò, quam tibi subijcimus impressam imaginem, Elogio careat, aliud hic habes, quod inter doctas elucubrationes, à COMITE POMPEIO TRISSINO, Equite, & Philosopho præclarissimo, scripto relictas reperimus, vt meritò alterum post Seculum, quo IOHANNES PICVS MIRANDVLA obijt, in ALOYSIO TRISSINO præclarissimorum Scriptorum suffragantibus votis, Itala tellus rediuiuum ingeniorum Phœnicem suspiciat, et miretur.

ALOY-





ALOYSIVS TRISSINVS VICENTINVS
Philosophiæ professor Phenix ingeniorum
suæ ætatis dictus.

POMPEI TRISSINI EQVITIS, & Philosophi, Olympicorum Academicorum Principis, de ALOYSIO TRISSINO gentili suo.

ELOGIVM.



Ic ille ALOYSIVS est auiti nostri Stemmatis superstite posthumaque fama, Philosophiæ Artiumque omnium liberalium peritia celebratissimus. Tanti Viri virtus longè antecelluit ætatem. A Morando siquidem patre Ferrariam ad Cynthium Iohannem Baptistam Gyraldum, magni tunc nominis virum, honestis imbuendus disciplinis, & vt in celebri Gymnasio Quiritum legibus operam daret, & lauream assequeretur, tenera adhuc ætate transmisus, Præceptoris, & Patris expectationem præpropera ingenij fœlicitate facilè anteuertit. Eloquentia siquidem



adeò

adeò excelluit, vt tertio vix exacto suæ ætatis lustro, plerumquè extemporaneis Declamationibus disertissimè, & mira venustate perorantem, ipse Ferrariensium Princeps audire deflagrarit. Musarum latices exhausit magis, quàm delibauit. Rithmicis siquidem Ethruscorum numeris, Vrbis Ferrariæ incunabila, & incrementa Octauarum numero cecinit: *Sonetos* & *Madriales* in Athestinorum Principum, aliorumque Amicorum laudem quamplures conscripsit: heroico, lyricoque Latinorum carmine multa cecinit, & amatoriam in laudem Cassandræ Minotæ, cuius amore deperibat, lusit, quæ dum lecto morti proximus decumberet, funestissimo nobis incendio, vnà cum à se scriptis Scientiarum penè omnium Commentarijs, iussit amburi. Iurisprudentiæ doctoratus insignibus donatus, Naturalis Philosophiæ stadia felicissimè emensus, publicus sublimis huius Scientiæ in Ferrariensi Gymnasio Professor est renuntiatus. Quo in munere tantam sibi famam conciliauit, vt Phœnicis ingeniorum suæ ætatis nomen obtinuerit.

Cæ-

Cæterùm percrebrescente, & in flammas erumpente, quem diù tacitus fouerat, amoris igniculo, cæci pusionis ductu, inscijs parentibus, Gyraldo nè quicquàm obiurgante, nubilem puellam Cassandram, Græce à fabulis celebratam, sibi penè supparem (quippe extremi sui fati prænuncia erat) connubialibus tædis, & nuptiali thalamo adsciscere non est veritus. Quod vbi ad aures Morandi peruenit, indignatione adeò commotus est, vt nullis vel nati precibus, vel Gyraldi amicis cohortationibus flecti potuerit, spretum indignans præclarissimi sui generis decus & maiestatem, quòd exteram fœminam, ciuilibus licet Parentibus, & honesto Minotæ familiæ genere natam, corporis animique dotibus (quod suis litteris testatus est Gyraldus) ornatissimam, suæ tamen degenerem nobilitatis, matrimonio sibi temerè iunxisset. Ad patrios redire Lares decreuit Aloysius, facilè Genitoris iram, vel vno Cassandræ honestissimo conspectu, & spe concepti iam fœtus eludendam ratus. Nec votum fefellit exitus. benignè

ſiquidem receptus, & Caſſandræ puerperio genitę mox Puellæ ſobole vniuerſa Domus recreata, cum à Patauini Gymnaſij Moderatoribus ad Naturalem interpretandam Philoſophiam euocatus, ſublimes ſibi honores promitteret, febri correptus, ſeptimo, quo decubuerat die, cum nondum XXV attigiſſet ſuæ ætatis annum, interijt. Sacras ei inferias Gyraldus Ferrariæ celebrandas curauit, & amiciſſimi ſui, itidemque eruditiſſimi Viri memoriam metrico, & ſolutæ orationis Epitaphio poſteris conſecrauit. Viſitur Aloyſij picta Imago inter Illuſtrium litterariæ Reipublicæ Virorum Icones Mediolani in Larario Bibliothecæ Ambroſianæ. Eius celebre dictum fuit, *Auaritia venenum eſſe in poculo aureo*. Idem rogatus aliquando, quid peccanti erubeſcentia afferre ſoleret boni: *Deſuetudinem à peccato* reſpondit.

CYN-

CYNTHII IO. BAPTISTÆ
GYRALDI
EPITAPHIVM.

D. M.

ALOYSIO TRISS. VICENT. SPECT. PROBITATIS IVVENI CVM BONARVM OMNIVM DISCIPLINARVM TVM PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ PERITISS. QVI FERRARIEN. GYMNASII SVMMAM SIBI PENE ADVLTO BIENNIO COMMISSAM MAGNA CVM LAVDE SVSTINVIT FERRARIÆ PHILOSOPHIAM MAGNA AVDITORVM FREQVENTIA PVB. PROFESSVS EST QVEM ANN. VIX NATVM XXV. P. M. (PRO RERVM HVMANARVM INCONSTANTEM VICISSITVDINEM) MORS IMPIA NOBIS ERIPVIT. CYNTHIVS IO. BAPT. GYRALDVS AMICVS AMICO OMNIVM OPT. AC BENEMERENTI MOESTISS. POS.

Hic Aloyse iaces, sed nos hac sorte monemur,
Quàm fragili constent omnia summa loco.

ALIVD.

GASPARIS TRISSINI

SOMASCHENSIS

Congregationis Theologi, & Oratoris.

Aloysium pingo: Phœnicem hospes lege
Ingeniorum, amicum Musis, & Palladi
Vnum: Ephœbus omnes complexus artes propè,
Pæonia pariter clarus, & Mæonia:
Inuidit terris Parca sed tantum decus.
Nam iubet hunc quinto lustro canere inter Deos.

ALOY-

ALOYSII TRISSINI
NOB. VICENTINI, ET LAVDENSIS

Problematum Medicinalium, ex Galeni sententia

LIBER PRIMVS.



VR homo solus omnium animantium erectus stat, & solus omnium sedet? an quia manus omnium solus habuit? etenim omnes manuum in opificijs actiones duabus his egent figuris: hæc enim erecti, hęc sedentes manibus conficimus: nemo autem aut pronus, aut supinus molitur quicquam: meritoq; nullum aliorum animalium, quod erectum stare, vel sedere posset, fabricata est natura, quippe quòd nihil manu elaboraturum erat. Opinari verò, ob id rectè stare hominem, vt ad cælum promptè suspiciat, hominum est, qui nunquam viderint piscem græcè dictum ὀυρανόσκοπον, *hoc est, cæli speculatorem: hic namque vel inuitus,* Problema. I.

cælum ſemper aſpicit. Homo autem, niſi collum reflexerit retrorsùm, cælum nunquam viderit. Hic verò refractus, non ſolùm huic ineſt animali, ſed nihilominus & aſinis: vt omittam aues longum collum habentes, quibus non ſolùm facile eſt ſursùm, ſi velint, aſpicere, ſed quoquo versùm etiam circumferre promptè oculos. Quod verò ne Platonem quidem intellexerint, dicentem id non eſſe ſursùm aſpicere, quum quis ſupinum ſeipſum reclinarit oſcitans, ſed quando (ni fallor) mente naturam rerum conſiderat, turpiſſimum eſt.

II. Cur homo armis omnibus nudum corpus à generatione habuit, animamq́ue arte omni à natura deſtitutam? Nec enim ipſe, vt cætera animalia, natura artem aliquam exercere poteſt, vt videntur apes fabricari, fingereq́ue ſibi alueolos: theſauros verò quoſdam, & laberynthos formicæ: nere autem & texere araneæ: cæteraq́ue omnia ſibi inſitas, quibus vitam tueantur, artes natura habere. Nec item re quapiam ipſe corpore munitus eſt homo, qua iniurias propulſet, vt cætera habent: hæc enim vngula, hæc cornu, hæc dente, hæc corio, hæc teſta, vnguibusq́; alia, & pugnant, & ſibi vitam ab iniurijs defendunt: homo autem nullo horum natura munitus eſt, nihilq́; ſine magno labore vel ſcire, vel operari poteſt. An his omnibus & artibus & armis homo natura deſtitutus eſt, vt omnia commodius habere poſſet, ac omnibus vti? Non enim, ſi arte aliqua

ac armorum proprio aliquo genere præditus esset, omnibus vti poßet: innata enim sola ei semper adessent, reliqua verò habere non posset. Vt igitur ad omnia aptior eßet, neutrum dictorum à natura ipsi propterea datum est. Reliqua enim animalia, quæ vna arte, ac vno quopiam solo armorum genere prædita sunt, ad nullam aliam, preter hec, actionem, vel opus idonea extiterunt. Nulla etenim alia arma leo, aper, taurus, equus sortitus est, nec aliis vti potest, quam vngula, cornu, dente, ac vngue. Homo verò, animal solum eorum, quæ in terra sunt, sapiens ac diuinum, pro artibus omnibus ac armis, ratione ac manibus præditus, ad negotia omnia, horum opera pace non minus quàm bello idoneus extitit: horumq; munere & arma non solùm innatis fortiora, & artes præstantiores sibi comparat, quibus scilicet & corpus tueatur & animam ornet, verùm etiam omnibus aliis animantibus, quæ in terra sunt, in mari & aere, dominatur.

III. Cur manũ ipsam in plures diuidi digitos melius extitit? an quòd si indiuisa omninoque solida mansisset, magnitudinem tantummodo sibi æqualem admoti cuiusq; corporis tetigisset, apprehendissetq;? at in multa diuisa, moles seipsa multò maiores facilè comprehendit, & minimas etiã res exactè venatur colligitq;: maioribus siquidem molibus obtensa manus, digitis distantibus eas comprehendit: verùm quæ minima sunt, digitis duobus, eisque summis, non etiam tota se (hoc enim modo effugerent atque elaberentur) comprehendere conatur. Hoc sane pacto De manibus.

manus ad certam maiorum & minorum seipsa corporum comprehensionem optimè constituta est. Porrò ei commodissimum rursus fuit multiformiter, quemadmodum nunc est diuisa, diuidi, vt multiformes figuras apprehendere posset.

IV. Cur vngues summis digitis extrinsecus appositi sunt? an vt firmamentum quoddam, quò melius ac commodius omnia manus apprehenderet, effecti sunt?

V. Cur vngues rotundi vndique extiterunt? an securitatis gratia? sola enim figurarum rotunda, ad vix patiendum exquisitè comparata est, vt quæ nullum expositum angulum frangi potentem habeat.

VI. Cur vngues solos inter animalis particulas semper augeri potentes natura construxit, quamuis iā totum corpus augeri desierit? an quū scalpendo, vel aliud quid vnguibus ipsis agendo, exteri debebant nobis eorum exrtemitates, ideo semper eos augeri natura voluit? vt in locum eius quod assiduè exteritur, in ipsorum extremitate sit aliquid, quod sufficiatur.

VII. Cur vnusquisque digitus ex pluribus ossibus compositus est, & non vnico tantùm constat? an vt multiformiter figuraretur? id quod non potuisset fieri, si ex vno solo esset creatus. Solæ enim ita illæ actiones bene efficerentur, quæ digitos postulant extensos: nam rectam tantummodo habere potuissent figuram, sicut tantummodo circularem, si absque ossibus constarent.

VIII. Cur super externas ossium digitorum partes

natu-

natura carnē non nutrit, sub omnibus verò internis partibus eam nutrit? an quòd ibi locata onus superuacaneum fuisset: hic verò, vt quum mollis consistentia sit, & occursantibus cedat leniter, ossium rectitudinem tunc corrigat, quando est aliquid circulo apprehensura manus?

IX. Sed cur in articulis perpauca generata est, plurima verò in partibus inter articulos mediis? an quod articulus, carnis adiutorio tali, quale ossibus necessarium est, non indigebat, quum flecti natus sit, & caro præterquàm quod nullam ei commoditatem præstaret, impedimento motui fieret, tum grauans vt superuacanea, tum etiam internum articuli spatium excludens occupansque.

X. Cur lateribus digitorum caro adnata etiam aliqua videtur? an tantum carnis ibi adnasci fecit natura quantum medium inibi spatium vacuum repleturum erat, vt & inde manus non solùm, vt diuisum in multa instrumentum, sed etiam vt omnino indiuisum agere possit? adductis enim ad sese inuicem digitis, ita eorum medium totum spatium constringitur à carne, vt si quid etiam liquidorum corporum manu supina continere volueris, effluere non permittat.

XI. Cur neque pauciora, neque plura ossa tribus, fieri digitis oportuit? an si plura essent, præterquàm quod nullam iuuarent actionem (abundè enim scitum est, omnia per tria compleri) fortassis etiam perfectam extensionem nonnihil læderent, minus firmam, quàm nunc sit, efficiendo? Quæ enim ex

pluribus particulis composita sunt, facilius quàm ea, quæ ex paucioribus, fatigantur, & flexa collabant: pauciora autem si essent, tam diuersas particulares figuras digiti non haberent. Vt igitur & multiformiter mouerentur, & patiendi promptitudinem effugerent, trium ossium numerus abundè fuit.

XII. Cur vnumquodque horum ossium extrinsecus exactè est conuexum, intus verò & in lateribus non exactè? an hoc quoque melioris gratia effectum est? Internis enim suis partibus digiti molliunt, terunt, ac omnia accipiunt: quæ deterius fierent, si ossa inibi conuexa fuissent. Externis verò partibus quum neque horum aliquid, neque aliam quamuis actionem efficiant digiti, reliquum fuit, vt ad solam patiendi difficultatem exquisitè sint constructi. In lateribus autem habebant quidem patiendi difficultatem, se inuicem custodientes: debebant autem, quum adducti constringuntur, nullum relinquere in medio spatium vacuum: non igitur eos hac parte curuos fieri necesse erat.

XIII. Sed cur magnus digitus, & paruus, ille supernam, hic infernam circumferentiam (περιφέρειαμ Græci dicunt) exactè conuexam, obtinuit? an quòd hac parte nec ab aliquo custodiebantur, nec alij digito iuncti applicabantur?

XIV. Propter quid dura & densa ac medulla expertia sunt ossa digitorum? an quia nuda sunt omnia, & propterea facilè patibilia? Eis autem quæ ob externi operimenti penuriam iniurijs sunt & passionibus opportuniora, vna est correctio maxima,

ma, remediumque præsentissimum, propriæ constructionis δυσπάθεια, hoc est, ad patiendum difficultas.

X V. *Propter quid tendones digitorum omnes, qui ad carpum apparent, ita longos natura creauit, & non produxit ad carpum musculos ipsos, sed ex cubiti potius musculis productos tendones secundum rectitudinem digitorum deduxit? an quia leuem simul, & tenuem esse extremam manum præstabat, quàm turba carnium obrutam, grauem simul & crassam fieri? multa enim ita deterius, & tardius ageret eorum, quæ nunc promptè & bellè perficit.*

X V I. *Propter quid tendones isti, quum vnusquisque eorum à musculis vsque ad articulos exquisitè rotundus sit, idque vt vix patiatur, quà applicantur mouendæ à seipsis φάλαγγι, hoc est, aciei & ordini articulorum, ibi tum expanduntur, tum latiores fiunt? an quòd sic facilius erant moturi eam pluribus trahentes apprehensionibus?*

X V I I. *Propter quid vnicuique articulorum digitorum, quatuor in locis tendones applicari rationabile fuit? an quoniam quatuor motibus digitorum vnusquisque debebat, vt plurimis moueri, vno quidem flexis, alio verò extensis, duobus item ad latera?*

X V I I I. *Propter quid maximus digitorum pollex, quem & ἀντίχειρα, quasi premanum dicas, tanquam scilicet pro tota manu hic digitus esset, internum tendonem vnum habet tenuem, quum duos externos, eosque robustos habeat? reliqui verò*

omnes quatuor digiti, intus quidem duos tendones flectentes magnos, foris verò vnum tantum extendentem habent? an quum quatuor digitis flexis plurimas ac valentiſſimas actiones obeamus, non magnos ſolum internos tendones, ſed & duplices indiguimus habere? quæcunque enim tum vna manu, tum ambabus ſimul complectimur, ſiue quid extendi, ſiue frangi, ſiue teri, ſiue molliri ſubigique oportet, omnia hæc digitis flexis perficimus. Contrà autem habet ſeſe res in magno digito: ad nullã enim actionem aliam nobis flectendus eſt, niſi quando alijs iam curuatis, illũ deſuper inijcere neceſſe eſt.

XIX. Propter quid inæquales omnes digiti facti ſunt, & medius longiſſimus? an quod ipſorum ſummitates ad æqualitatem venire quãdoq; melius erat, vt quum magnas aliquas moles in circuitu comprehendunt, vel quum in ſeipſis humidum, vel parum corpus continere conantur? ad maiores enim moles vel fortiter comprehendendas & retinendas, vel fortiter emittendas, æqualis vndiq; compreſſio multum conducit: ſicut & ad manus claudendas, quando vel paruum corpus, vel humidum volumus cõtinere. Apparent autem in vnam circuli circunferentiam conuenire digiti quinq; in actionibus huiuſmodi maximè, quando exquiſitè ſphæricum corpus comprehendunt.

XX. Cuiusnam rei gratia tendones ad internam manuum cutim prodierunt? an quia decebat manus, comprehenſoria ac tactoria instrumenta quum eſſent, habere eam cutim non modo contumacem,

quum

quum ob alia quædam, tum maximè ob paruorum corporum certam & tutam comprehensionem, sed & tota cuti reliqua sensibiliorem, ad certam scilicet tactilium omnium qualitatum dignotionem? Neq; enim aliud quidem oportebat esse apprehensorium, aliud tactorium instrumentum: neq; aliud accipere vnamquanq; rem externam, aliud autem postea discernere de tactilibus differentijs, sed mox quum apprehenderit vnumquodq;, melius fuit simul dignoscere quale sit natura: at verò neq; decentius neq; promptius fuit alio instrumento corporis dignoscere, quàm manu, & ipsius manus non omnibus, sed internis partibus, quibus est etiam apprehensorium instrumentum. Tactricem igitur oportuit eam esse, quoniam & apprehensoria: & quibus partibus apprehensoria, iisdem & tactricem. Ad quam rem confert etiam non pilosam esse cutim eius loci sic factam à lato tendone cuti subnato, qui etiam duritiem cutis illius effecit, quod vtile quoque nobis ad multas actiones futurum erat.

XXI. Cur musculi motores radij sine tendonibus sunt? an quum os musculi implantationem recipere non soleat, aut quia durum est, aut quia paruum, aut quia melius erat vt ex carne, & leue esset? Horum nihil licet dicere in osse radij, neque enim durum est, neque paruum, sed neque leue esse magis quàm carneum postulat. Præter hæc autem & impossibile est ita propinquis sibi ossibus, incipientem ab vlna musculum in neruosam tenuitatem mutatum inseri radio; neruis enim & ligamentis in car-

nes

nes musculi disseminatis, postea paulatim in idem aceruatis & coalescentibus generatio fit tendonibus: hoc autem, scilicet paulatim, longiori eget via, & maximè quando ex magno musculo aceruatur.

XXII. Cur ossa carpi & metacarpij, ita paruæ corporis particulæ, multiplicia extiterunt: duodecim enim hæc numero effecta sunt, quum ex paucioribus quidem ossibus crus & brachium maxima membrorum constent? an sic constructa hæc sunt ob multiplicem manus ipsius actionem, quæ perijsset, si essent omnia vnum simplex: an etiam huiusmodi constructio ad securitatem manus iuuit? Si enim inter digitos & vlnam vnum simplex os esset locatum, concauum quidem intrinsecus, conuexum autem extrinsecus, ita nudum, sicut hæc decebat esse, ab omni quidem duro percutiente, ipsum facilè frangeretur: fractum autem, mox totum vtique præter naturam haberet, quum vnicum esset: nunc autem quia duodecim facta sunt, duodecima pars constructionis totius corrumpitur vno adfecto. Porrò vt omnino nihil patiantur, melius fuit ex multis ita componi.

XXIII. Cur manuum digiti, non sicut digiti pedum, vno ordine siti sunt omnes, sed magnus est alijs oppositus? quæ ve totius huius constructionis ratio? an pes quidem ambulandi instrumentum fuit, manus autem apprehendendi? Conueniebat itaq; illi stabilimenti robur, huic autem apprehensionis multijuga varietas: sed robur quidem stabilimenti & firmitatis vno ordine locatis indigebat omnibus digitis:

prom-

promptitudo verò ad varietatem apprehensionum, magno id est, pollice, alijs opposito.

XXIV. Sed cur ex aduerso omnium, iste locatus non est, sed à latere versus indicem? an quòd medium internæ regionis carpi occupans, multis vtiq; actionibus manus noceret, & maximè his quascunque per volas agimus, vel seorsum altera, vel simul ambobus? ad indicem verò situs est, quòd per extremas flexiones digitorum, paruus nullam relinquit regionem vacuam: index verò non paruam indigentem, manifesto velut operculo quodam magno digito.

XXV. Cur radij ipsius conformatio ac positio obliqua fuit, vlnæ autem recta? an quoniam secundum naturam motus vtriusq; positionem vtriusq; ossis esse oportuit? sed motus quidem membri per extensionem & flexionem, secundum longitudinem eius fit, qui verò ad pronum & supinum ad latera est: propterea igitur & obliquus est radius, recta autem vlna: hæc siquidem extensionibus & flexionibus, ille verò conuersionibus ad latera subseruit.

XXVI. Cur autem incumbit vlnæ radius? quia hoc illa longior est, & plurimum articulationis ad brachium ipsa obtinet, rationi autem consentaneum fuit, os breuissimum super longiore vehi.

XXVII. Sed cur vtriusq; partes, quæ sunt in medio, tenuiores, quæ verò in cubito & carpo crassiores sunt? an quia illas musculis locum præbere oportebat, has craßescere, & in molem tumere productionibus, quas ἀθιφύσεις, *hoc est, proceßus exortusque*

Græ-

Græci vocant? Hæ verò epiphises, quòd dearticulationibus sint utiles, iam clarum existit.

XXVIII. Cur verò ex ipsis finibus ille quidem, vlnæ qui in cubito est, crassior apparet: radij vero, is qui ad carpum est? an quòd vtriusque communis est ad carpum dearticulatio? In ea verò dearticulatione quæ est ad brachium, tanto superet vlna radium necesse est, quanto vlnæ dearticulatio cunctis manus actionibus commodior est.

XXIX. Cur brachij os extrinsecus magis gibberosum est, internis verò partibus magis simum? an quoniam melius fuit ad se inuicem conuersas fuisse manus? quod si est, concauas quidem ossium partes se inuicem aspicere præstitit, auertere verò foras ipsorum conuexitates: mox autem huiusmodi constructio brachia effecit aptiora ad apprehendendum corpora conuexa & gibbosa, præparando simul locum vasis, quæ ad totas manus feruntur.

XXX. Cur maiora ossa, laxiora semper ac cauernosiora & magis concaua sunt ossibus cunctis minoribus? an quòd hæc si (præterquàm quòd magna sunt, solida, & cauitatis medullæq; expertia) dura & densa omnino fuissent, membra ipsa onere sanè maximo grauarent? sed & hic abutitur prope ipsa cauitate natura: reponit enim in eam familiare ossi nutrimentum, quod μυελὸν *hoc est, medullam, Græci nominant.*

XXXI. Cur homini præstitit oblongos, latos, molles, & multifidos fieri pedes? non autem rotundos, paruos & duros, sicut equis, quorum constructio ma-

ximam

ximam certè & velocitatem, & patiendi difficultatem sortita est? an quòd nostra huiusmodi constructio vbiq; opportunior existit, & ad omnes locorum difficultates aptior? sicubi etenim oporteat vel sublimes muros conscendere, aut arbores, aut petras: his facillimè omnia hæc perficiemus, ad quæ equus minimè aptus est. Quum igitur neutra harum constructionum vtrasque illas dotes ac excellentias habere posset, oportebatq; omnino alteram eligere. Perspicuum est, equis illam velocitatis, hominibus verò alteram fuisse potiorem atq; optabiliorem. illis, quòd quadrupedes sunt quatuor pedibus, qui rotundi sint, licet firmatis, tutò esse & ingredi: nobis verò fallax omnino est huiusmodi constructio. illis item, quòd nec manus, nec artes habeant, melius fuit quouis modo ad patiendi difficultatem pedes naturam comparasse: homini verò, qui pro re nata idoneum calceamentum inuenire potuit, & sæpe etiam nudis pedibus vti necesse habuit, præstitit eos esse prorsus detectos.

XXXII. Cur autem hominum pedes multifidi simul & internis partibus caui extiterunt? an propter securitatem firmationis, & certitudinem apprehensionis? caui etenim in medio quæcunq; subiecta gibbosa sunt, amplexantur securissimè: digitis autem omnibus, in locis & planis scilicet, & obliquis & decliuibus ac præruptis, ad securiorem apprehensionem ac firmationem vtimur.

XXXIII. Cur calcanei ossis anterior pars tenuior est & angustior? cur ve ad paruum digitum

spe-

spectare magis videtur? an quòd si anteriori parte, vt posteriori, eßet crassum & latum calcaneum, & tale manens in anteriorem pedis partem extenderetur, quomodo fuißet interna eius pars concaua? meritò igitur hic multum de crassitie eius ossis & amplitudine interna parte natura abstulit, ob idque ad paruum digitum extensum eße apparet.

XXXIV. Cur tibia femore minor extitit, quum tibiam portandi femoris gratia, præstaret eße maiorem? superius enim portari ab inferiori oportebat: fortius igitur simul & maius rationabile fuit, esse id quòd subiectum est, vt videre est in columnis, muris, domibus, turribus, & omnibus inanimatis. An quia mouere oportebat quod superiacet? moueri verò ab eo quod subiectum est, maius & fortius ratio fuit, eße ipsum superius, vt in brachio etiam contigit & vlna & summa manu: itaque vt tibia facilè moueretur, minorem eam eße præstitit. Instrumentis enim propter ambulationem institutis, ad motum promptior, constructio longè vtilior fuit ea, quæ ad stabilitatem firmationis erat opportuna. Propterea igitur minorem fecit natura femore tibiam, non tamen vsque eo minorem, vt non poßet iam tutò ipsum portare.

XXXV. Cur rotula illa, à nonnullis mola appellata, quæ est supra genu, effecta est? an vt anteriores partes articulationis omnes contineat, prohibeatq; ipsum femur elabi ad partes anteriores? hæc etiam ne cadamus, & maximè in decliuibus locis, quum in anteriora totum corpus nostrum nutat, non modicam præbet vtilitatem.

XXXVI.

XXXVI Quid est quòd in superiori parte ventriculi, vbi ipse scilicet est, angustior, stomachus amplior factus est: innferiori autem parte, vbi ipse latior est, productio illa, seu explanatio ad intestinum, strictior à natura effecta est? an quod moles non tritas, duras ac magnas, aliquando transglutit animal, quæ vt transirent, amplam viam factam fuiße eam, quæ per stomachum fertur oportuit, infernè autem contrà? nihil oportet transire magnum, durum, non versum inchilum, atque incoctum: sed veluti πυλωρὸς, hoc est, ianitor quispiam, iustus est huius meatus angustia, nulli, antequam in chilum redactum sit & coctum, facilè concedens ad inferna transitum. De ventriculo.

XXXVII. Quid est quòd tunicarum ventriculi & stomachi natura sibi similis extitit? intestinorum autem dissimilis? interna nanq; tunica in ventriculo simul ac stomacho membranosior, villos rectos supernè deorsum tendentes habet: externa verò carnosior, transuersos, quales scilicet solùm habent duæ intestinorum tunicæ: an hoc meritò à natura effectum est? Siquidem ventriculus trahat oportet ad seipsum per stomachum cibum & potum, tanquam manibus, rectis his villis, propellat verò transuersis. intestinis verò, (attractiua enim non indigebant facultate) soli ad propellendum idonei facti sunt villi transuersi.

XXXVIII. Sed cur intestinis tunicæ binæ extitere, siquidem ambæ itidem sese habent? an vt ipsorum expultrix facultas esset valentior? an etiam vt

ipsa ab iniurijs essent tutiora? ut enim in ventriculo manere diutius cibaria, ut exactè coquerentur, ita hic non manere, è re magis fuit.

XXXIX. Cur nonnullis intestinorum quidam villi recti secundum longitudinem obtenduntur, quomodo in recto intestino complures huiusmodi sunt? an dicendum est tales factos esse ob transuersorum tutelam, & potissimùm in animalibus, tenues habentibus tunicas aut actiones vehementiores? periculum enim erat, ne transuersi villi à sese mutuò auellerentur, nisi extrinsecus à rectis, veluti vinculo quodam fuissent deuincti: quò fit, vt in recto intestino complures eiusmodi fuerint, quòd multis & duris alimenti sicci congesti excrementis, eius intestini tunicas adprimi validè oportuit: extrinsecus igitur transuersis ceu ligamentis villos quosdam rectos iniectos esse palàm est.

XL. Quid est quòd oris, gulæ, ventriculiq; interna, duriora ac densiora sunt quàm intestinorum? an quia intestina ad distributionem, (ἀνάδοσιν Græci dicunt) ventriculus verò & stomachus & os, ad patiendi difficultatem comparata sunt? duras enim & magnas atq; asperas moles sæpè transglutimus, à quibus comprimuntur & abraduntur particulæ, nisi duræ & densæ extiterint. Instrumentum igitur quod prìmum occurrit cibarijs, antequàm vllam receperint elaborationem, consentaneum fuit omnium, ad patiendum fuisse contumacissimum.

XLI. Quid est quòd venæ quamplurimæ quidem ad singula intestina immittuntur, paucæ autem ad

infe-

inferiora ventriculi, pauca etiam ad eius oris partes, & omnino obscura quædam ad æsophagum? an quoniam hic via erat solùm ciborum, ventriculus verò coctionis instrumentum, vt distributionis intestinum? Vbi sanè oportuit solùm coqui cibaria, omnino paucis opus fuit venis transumentibus, quicquid iam benignum & vtile fuerit: quod verò iam coctum est, quàm citissimè distribui conuenit: ipsi autem viæ cibi, pro seipsa solùm erat opus venis: meritò igitur ipsa quidem paucissimas habuit venas, mediocriter autem ventriculus, copiosas intestina.

X L I I. Quis denique intestinorum vsus existit? an vt id omne, quod in ventriculo in chylum est mutatum, adsumatur in venas, constructa fuerunt intestina? neque enim superuacuorum delationis (vt nonnulli arbitrantur) neque concoctionis gratia extitere.

X L I I I. Cur circumambit ventriculum hepar? an vt ille quidem ab hoc, cibaria verò ab ipso ventriculo calefiant? ob id igitur ipsum hepar quibusdam λόβοις, id est, fibris, tanquam digitis, ventriculum ad vnguem complectitur.

X L I V. Cur omentum per omnem ventriculi partem anteriorem extensum, ad intestina etiam longissimè protenditur? an quia, quum coctionis adiuuandæ gratia propria caliditate effectum sit, oportuit quoque, & intestinorum coctiones, quæ imbecillima sunt, opera ipsius adiuuari: etenim licet intestinorum nullum coquendi alimenti, sicut

nec venæ, sanguinis gignendi gratia extiterit: in ipso tamen per intestina transitu alimentum coquitur, vt in venis etiam sanguis fit: alijs enim instrumentis sæpissimè ad melius abuti natura videtur.

XLV. Cur natura membranam illam à Græcis peritoneum appellatam, tot corporis internis particulis, vt omnium operimentum, circumtexuit? an vt ventris excrementa facilius excernerentur? hæc enim pars, veluti quibusdam manibus, arctè, quæ sub ipsa sunt comprimens, deorsum alimentorum superuacua pellit. an etiam vt ne flatibus distenderentur intestina, ac ventriculus prohiberet?

XLVI. Cur natura magnum aliquem sinum in hepate, quod generationis sanguinis esset instrumentum, non generauit: eiusmodi scilicet, quales in corde duos constituit, in quo scilicet succi promptius in sanguinem transmutarentur, sed potius vasorum multorum plexum quendam in ipso effecit? an natura, vt in corde, ita in hepate magnum sinum ideo non generauit, ne breuissimo tempore in hepate mansisset is succus, qui futurus erat sanguis, sed ipso distributionis impetu raptus, peruasisset celeriter totum viscus? Vt igitur maneret diutius, simul & perfectè alimentum alteraretur, transituum potius angustiæ extiterunt: vbi enim diutius natura voluit morari materias, ibi transitum ipsis difficilem molita est. Porrò si vnus extitisset magnus sinus, non mansisset diutius in hepate sanguis, partemque minimam carnis eius visceris, quæ propriè est sanguinis, creandi instrumentum attigisset, eo-

que

quę deterior vtique fuisset sanguinis generatio: vtilius igitur effectum est, vt plexus ille potius, quàm magnus sinus in hepate generaretur.

XLVII. Sed quamobrem venas ipsas hepatis omnium, quæ in totum corpus sparguntur, tenuissimas, natura fabricata est? an vt alimentum quod in his erat, magis vndique hepar ipsum contingeret, citiusque & melius speciem sanguinis susciperet: alias verò, ceu minimè principio sanguinis gignendi vicinas, & resistentem iniurijs constitutionem flagitantes, meritò fecit robustas: quæ verò in hepate sunt, tenuissimæ etiam fuerunt, ceu nulli patiendi periculo expositæ: sedem enim habebant tutissimam in viscere, & melius ita sanguinem elaboraturæ erant.

XLVIII. Cur arteriæ in medio superiorum, & inferiorum venarum hepatis, constitutæ non sunt, vt ambas pariter ventilando refrigerarent, sed his solis, quæ in simis sunt, eas natura subiecit? an quoniam non ignara natura erat hepatis gibbis cõtinuum esse motum ex phrenum vicinia? Vt igitur refrigerationem solùm simis hepatis suppeditarent, talem arteriæ locum sortitæ sunt, quæ etiam quum non necesse haberent vel sanguinem adsumere, qui nondum etiam deposuit superuacua, vel vitalem spiritum multum præberi hepati, vt quibusdam alijs instrumentis, vel nutrire carnem eius subtili ac vaporoso alimento paruæ admodum in ipso à natura effectæ sunt.


XLIX. Quamobrem neruum minimum hepati natura dedit? an quòd neque ad motum aliquem, neque ad sensum ipsum animali præparabat? eiusmodi namque facultatis est principium hepar, eæque actiones tum ipsi, tum venis ab eo ortis sunt concreditæ, cuiusmodi est plantis.

L. Cur spleni arteriæ multæ, & magnæ à natura tributæ sunt? an quum splen instrumentum quoddam sit purgans limosos, & crassos, ac melancolicos succos in hepate genitos, hisque etiam ipsemet nutriatur, oportebat ipsum prius per multũ ocium hos succos conficere, immutareque ad sui nutritionem, quæ res sine arteriarum vsu commodè perfici non poterat: harum igitur opera vtens, innata scilicet ipsarum caliditate, quæ à corde adfluit, ac motus assiduitate, conficit, frangit, mutat, alteratque crassities transumptorum ab hepate ad ipsum humorum, quicquidue eorum in succum ipsi maximè conuenientem translatum est, id alimentum ipsi efficitur: reliquum verò, quod ab hac elaboratione excidit, omninoque ad nutriendum inutile est, hoc ad ventriculum per quendam venosum stomachum ipse eructat abijcitque. An etiam ob id arteriæ multæ, & magnæ spleni tributæ sunt, vt excrementa fuliginosa, quæ in splene plurima futura erant, propter prauitatem, & crassitiem succorum, qui in ipso elaborantur, expurgarentur? Scitum enim iam est, motus ipsarum dilatationem (diastolem dicunt) refrigerare, attrahendo scilicet frigidam qualitatem: sistolem verò, vel compressio-

pressionem earum, excrementa fuliginosa expurgare. Ratio igitur fuit, spleni ipsi multas, & magnas arterias tribui.

L I. Vtrum succus aliquis, nutriendo scilicet animali idoneus, fallere, atque ex animalis corpore unquam elabi possit? an certum est quòd non, quando saltem naturaliter corpora sese habent, non quando morbida sunt, in quibus ordo confunditur, & naturæ ars impeditur, ob scilicet intestinorum ipsorum plures circumuolutiones, quæ ob id scilicet ne alimentum è corpore animalis elaberetur, tales effectæ sunt: & vt quicquid alimenti concoctum esset, ad vnguem distribueretur? quum enim in his angustia transitus in paruas particulas alimentum comminuat, cogit vt id propemodum totum contingat tunicas intestinorum, ad quas venæ ipsæ osculis suis hiant, ob idque etiam ipsarum ora: quo fit, vt si quid fortè alimenti effugerit in transitu per primam circumuolutionem, per secundam quidem contingat: quòd si hic quoque effugerit per tertiam vel quartam, vel per quamlibet sequentium, vnde effugere nequit, vt in transitu adeo angusto & longo non versetur cum orificio vasorum, à quibus tandem totum rapitur, sursumque fertur, quia patet minimè effici posse, vt ex animali elabatur nutrimentum.

L II. Quamobrem animalia quædam adeo insatiabilia ac gulosa existunt, vt plantarum more cibis assiduè adhæreant, nobis verò minimè hoc euenit? an hæc sunt, quibus dicta intestinorum inuolu-



cra, vel circumuolutiones, non insunt, sed intestinum ipsis à ventriculo simplex vsque ad anum protenditur? quò fit, vt alimentum ex corpore ipsius ocius elabatur, quapropter etiam fame promptius capiuntur: nobis verò, vt qui ipsa intestinorum inuolucra habuerimus, ob id scilicet, ne (vt à Platone dictum est) ob gulositatem, à Philosophia ac Musis seuocaremur, externo assiduè alimento opus non est.

L I I I. Quid est, quòd nos assiduè non egerimus, sed longis tantummodo temporis interuallis? an in causa est crassi intestini latitudo, ceu secundus quidam venter, excrementis subiecti, quomodo vesica vrinis? nam ne egererent assiduè, nè ue meierent animalia (humidis quidem excrementis vesica subiacet) siccisatur intestinum, quod craßum appellamus, quod vtique & inferiorem ventrem quidam nominant.

L I V. Quamobrem natura vbique, nisi maius quid obstet, cum venis semper arterias simul diuidit? an vt vasis ipsis sit conspiratio quædam ac materierum communio, quapropter conspirabile vndequaque totum corpus animalis extitit?

L V. Quid causæ est, quòd ex meatu bilioso, portio aliqua bilis in ventriculum non influit: quum ventriculus ipse non pauca pituitosa viscosaque excrementa generet, quæ ab acri atque abstersorio hoc bilioso succo commodè expellerentur, quo scilicet pacto intestina ipsa expurgari ab hoc solent? An certè si flaua bilis in ventriculum influendo

nullum

nullum admodum adferret incommodum, iniquè vsum eum natura prǽteriiſſet, quem abſtergendo quotidie excrementum viſcoſum nobis humor iſte ſuppeditaſſet? At ſi mala, quæ ex ipſius bilis in ventriculum influxu manant, magnitudine ſint tanta, vt ventriculi munus funditùs euertant, quis non videt naturam ipſam ſummopere laudandam eſſe, quæ fluxum bilis in ventriculum auertit? At omnibus in promptu eſt, flauæ bilis facultatem adeo acrem eſſe ac mordentem, & omnia abradentem, vt omnia ventriculi munia, ſi ipſa ad eum confluere, euerteret. qua enim ratione, pura primis inteſtinis incidens, ea morſu commouet, prohibetque alimentum in ipſis morari: ad eundem etiam modum ventriculum, ſenſu quàm ieiunum exactiori præditum, cogeret alimentum prius propellere deorſum, quàm planè concoctum eſſet: morſus etenim vehementes, crudos cibos cogunt excernere. ventriculus ipſe igitur à ſucci acrimonia morſus pungeretur ab ipſo ac cõmoueretur, ad ea, quæ in ſeipſo continet, celerius excernenda: nanque ſi humor iſte ad os ventriculi irreperet, vt quod maximè ſenſile eſt, morſi ab ipſo angerentur, nauſeam paterentur, ac vomerent: ſi verò ad fundum pertineret, celeriter deorſum ſubiret, ac ſecum aſſiduè ſimul cibos excerneret. Satis igitur conſtat concludi poſſe, quòd ſi plurimus humor iſte ad ventriculum confluerет, corrumperet vtique ac perturbaret propriam ipſius actionem: quandoquidem propria actio vẽtriculi, eſt cõcoctio quæ temporis diuturni-

tatem postulans non perficeretur, probibente scilicet bumore hoc in ventriculo cibos morari.

LVI. Cur excrementum melancholicum, quod in liene laborari ac mutari non potuit, non in propinqua ano intestina, sed in ipsum ventriculum excretum est? an propter id, quòd nihil illic molestum futurum erat? & si in proxima ano intestina meatum id excepturum natura extendisset, ad portionem paucitatis ipsius excrementi non modò esse angustum, sed etiam longum omnino, propter ipsius interualli longitudinem, eoque iniurijs opportunum, necesse erat: unde non ab re visum est, vt in propinquum sibi ventriculum, potius per breue aliquod vas confluat. Quod verò nihil mali erat allaturum, clarum esse potest, quandoquidem si neque in totum animal postmodum adsumatur, neque ipsum ventriculum vllo pacto offensurum erat. quod autem in corpus non adsumatur ex eo intelligitur, quòd neque flaua bilis, quæ multo est tenuior adsumitur. quod verò nullam ventriculo noxam inferat, indicat ipsa qualitas: acerba enim quum sit atque acida atra bilis, contrahere ipsum atque constringere, non vt flaua subuertere, nata est. Constat ergo, quòd quemadmodum bæc noxia est, propterea quòd vetat cibos diutius in ventriculo concoqui, sic atram bilem non modò non lædere comperimus, sed etiam actionem ipsius propriè promouere: nam ventriculũ intendit ac contrahit in se ipsum, cogitque cibos ad vnguem circumplecti atque retinere quousque fuerint concocti. Patet igitur maiorem fuisse natura

pro-

prouidentiam in huiusmodi productione, quàm si modo alio operata eßet.

L V I I. Quamobrem arteriæ magnæ admodum, cum venis vna in renes inseruntur? an hoc sanguinis in ipsis contenti, purgandi gratia effectum est? Nam si non huiusce gratia hoc factum est, quæ nam alia extitit causa, ò Erasistrate? qui aßeruisti solum spiritum in arterijs contineri.

L V I I I. Quid causæ est, quòd renum alter superiorem habuit positionem, alter verò inferiorem? an si serum trahendo ita renes purgant sanguinem? Perspicuum est, quòd si aduersam positionem haberent, alter tractu suo in contrarium alterius tractui moram adferret: nunc autem vterque agit liberè, solusque attrahit, quum nihil sibi è regione habeat oppositum.

L I X. Sed cur dexter superior est ac primus, sinister verò inferior ac secundus? an quia viscus ipsum quod purgatur, in dexteris locatum est, & plurima ex gibbis iecoris germina, in partem ipsius cauæ venæ dextram, sanguinem eò ducentia suis orificijs desinunt? cæterum corpus omne virtute attractice præditum, expeditius ex directè oppositis attrahit. An etiam cum splen ad inferiores ventriculi partes, hepar autem ad superiores constitutum eßet, locus pariter vacuus in sinistris, vt in dextris eße non poterat? quanto igitur hepar superiorem splene positionem erat adeptus, tanto dextrum renem altero editiorem eße oportebat.

LX.

LX. Cur ad serosam humiditatem purgandam, naturæ duobus opus fuit instrumentis? an quòd solùm purgando tanto excremento non sufficiebat, nisi maius, quàm nunc est, duplo extitißet? quod si duplicatum vel dextrum vel sinistrum eßet, alterum omnino perijßet, at ita inæquale animal ipsum natura effecisset? nam quum animal in æquilibrio stare monstratum sit, propter situm lienis, ventriculi ac hepatis opportunum: certum est, quòd si in parte alteratura natura magnum vnum renem constituißet, animal ipsum in partem alteram propensum effecißet: quod naturæ minimè decens erat, quæ pro vno magno rene in alterutra parte locando, duos paruos, sed satis ad purgandum aptos, vtrinque vnum ponere æquius eße existimauit.

LXI. Propter quid renum corpus ita densum à natura effectum est? an ob faciliorem proprij humoris attractionem? magis enim syncerum ac impermixtum succũ familiarem attrahunt instrumenta ea, quorum angusti prorsus ac inuisibiles meatus existunt, quàm quæ per ampla attrahunt orificia: non enim possunt hæc solùm ipsum purum & syncerum attrahere, sed alterius cuiusdam diuersi generis admixtione semper adulteratum attrahunt. An etiam, ne cum vrinis per aliquod foraminum, quæ in renibus habentur, quemadmodum tenue ac biliosum excrementum, ita & sanguis ille, qui ipsis alimentum fit, elaberetur, ita renes constitui melius extitit?

LXII. Sed propter quid splenis substantia laxa admodum ac rara extitit? an quòd ad attrahendum succum admodum crassum, melancholicum scilicet excrementum, aptius ita fuit?

LXIII. Quid causa est, quòd in hepate, renibus, liene, ac vesica bilem recipiente, neruos ita exiles natura inseruit? an quum tres naturæ ipsi in neruorum distributione scopi existant, quorum vnus est, vt sensorijs instrumentis sensum impertiret, alter vt motorijs motum, tertius omnibus alijs, vt quæ sibi dolorem adferrent, dignoscerent? Instrumentis quidem, & sensus, & motus maximi nerui à natura, pro merito scilicet cuicunque prospiciente ac distribuente, tributi sunt: at quum neque hepar, neque lien, neque renes, neque vesica, aut motus, aut sensus instrumenta sint, paruos vtique his neruos, explendi tertij vsus gratia, dari à natura oportuit, vt scilicet, quæ molestiam sibi exhiberent, sensu dignoscerent, & vt à plantis seiungerentur, essentque animalis particulæ. Nam si quibus afficiuntur iniurijs, non sentirent, qui fieri posset, vt non breuissimo tempore animalia labefactarentur, vt quæ lædentia depellere non didicissent? Hac etiam eadem ratione cor nullum habet neruum, nisi à suo illo tegumento, quod pericardion vocant, tenues quasdam propagines: nullam etenim actionem animalem habuit, quare neruis ipsi opus non fuit, nisi ea ratione, qua prædictis visceribus. Cæterùm, quum hepar à quatuor instrumentis purgaretur, duobus quidem renibus, tertio

tio autem splene, tum quarta vesica ipsi in hærente, & ideo nullus in eo succus malignus, & acris esset permansurus, sensu maiore non indigebat: item hæ quatuor partes, quæ iecur ipsum perpurgant, quòd à proprijs excrementis nihil incommodi essent accepturæ, sensum maiorem non postularunt: neque enim trahere huiusmodi excrementa potuissent, nisi qualitatis communitas quædam cum excrementis ipsis intercessisset: his ergo instrumentis meritò natura sensum acutiorem non adhibuit.

LXIV. Cur vesicarum tunicæ omni villorum genere præditæ sunt? an vt ad omnem motus speciem constitutionem haberent commodam, recti enim attrahendi, transuersi excernendi, obliqui retinendi gratia effecti sunt?

LXV. Quot sunt, quæve omnia nutriendi instrumenta? an prima, & principalissima sunt ea, quæ concoquunt, vtileq; alimentum alijs transmittunt: secunda verò, quæ purgant, quæ deducunt, & quæ excrementum excipiunt: tertia numerare possumus alimenti instrumenta, quæ excernendis excrementis sunt destinata, quæ genere sunt duplicia: alia enim effluuium intempestiuum ipsorum cohibent, alia verò tempestiuum incitant, intempestiuè quidem effluere musculi sedem constituentes, non sinunt: excitant autem in tempore, musculi omnes epigastrij: hi igitur simul cum reliquis, nutrimentorum instrumenta existunt.

LXVI. Quid est, quòd omnibus octo epigastrij musculis prementibus validè omni ex parte æqua-

biliter

biliter ventrem, intestinorum excrementa non ad stomachum, sed ad anum depelluntur vniuersa; quum ex musculorum ipsorum expressione, non magis ad anum, quàm ad stomachum pelli debeant, quandoquidem vtrinque æqualis ab ipsis compressio fiat? an certum est ex musculorum ipsorum constrictione, ac compressione præstari non posse, vt magis ad hunc quàm ad illum locum expellantur excrementa? Sed hoc potius ex ipsius septi transuersi (diaphragma Græci, ac phrenas nominant) opera prouenire dicendum est: cuius vsus, præter id, quod spiritus instrumenta ab alimenti instrumentis segreget, ac respirationis instrumentum sit, talis est, vt etiam hoc præstare facilè queat, vt ipsius concentum inspicienti facilè patet.

LXVII. *Quid est, quòd quum respirationis vsus in animalibus, cordis causa existat, motus conuentum eundem esse respirationis cum pulsu cordis non contingit, vt scilicet in thoracis inspiratione cor similiter dilatetur, & attrahat, & in expiratione constringatur innaniaturque ad thoracis ipsius scilicet constrictionem, & dilatationem? an quoniam cor non protinus ex faucibus, atque extrinsecus aerem attrabit, sed ex pulmone ipso, qui quidem quasi spiritus promptuarium quoddam ipsi deputatum est? Quòd si cor dilatatum protinus ex faucibus traberet, rursusque in illas adstrictum aerem emitteret, concentusque esset respirationis cum pulsu cordis, multæ quidem ac magnæ offensiones consequerentur. Nam si hæc ita haberent, nec*

ver-

verba continuare diu, nec suffocationis metu, quũ opus eßet, in aquam mergi possemus: nec fumum, vel puluerem, vel pestiferam aliquam aeris ac venenosam qualitatem sine inspiratione percurrere valeremus: vel enim noxium ac pestiferum aerem quandoque si extrinsecus protinus cor attraheret, intempestiuè inspiraremus, vel omnino nihil inspirantes, protinus suffocaremur. Bene igitur nobiscum actum esse opinandum est, vt hæc isto scilicet se haberent pacto, quum, & quandoque diutius sine inspiratione nos permanere opus sit: quod nunquam effectum eßet, nisi cor promptuarium quoddam, vnde spiritum ipsi quàm plurimo neceßarium traheret, habuisset.

LXVIII. Cur ex quinque pulmonis lobis, duo tantùm in læua thoracis parte, tres verò in dextra positi sunt? an quum quintus lobus propter magnam duntaxat venam effectus sit (huic enim excauatus molle substerniculum fit) eaque ex dextris animalis partibus, qua parte est iecur, profecta, sursum ad dextrum cordis ventriculum feratur, ob eamque causam in dextris positionem habeat, neceßarium fuit lobum quintum, qui huius causa effectus fuerat, in dextris thoracis partibus constitui, ideoque factum est, vt in dextra vnus exuperaret?

LXIX. Quænam cordis partes nobiliores sunt, quæve abiectißimæ? an partes illæ cordis, quæ vasorum productionibus sunt attributæ, omnes alias dignitate superant? hæ quidem quæ ad ipsius

basim

basim sunt, vasorum originibus sunt addictæ: ora verò ipsa inferior cordis ignobilissima est, & abiectissima. Quæ verò his duabus interiectæ sunt particulæ, quasi latera quædam, & ventriculorum generationi destinatæ, dignitates habent, vicinæ sibi parti consentaneas: nam quæ propter basim sunt, paulò minus sunt principes: quæ verò prope finem, propemodum abiectissimæ: quæ enim in medio sunt, quantum ab vtrisque extremis absunt, tantum de illorum dignitate nunc obtinent, nunc amittunt.

LXX. Quibusnam notis iudicare oportet, quæ pars in corpore animantis princeps, quæque minimè sit habenda? an ex vtilitate de vtroque statuendum est? Quæ quum sit triplex genere, aut enim refertur ad vitam ipsam, aut ad vitam commodiorem, aut ad horum duorum conseruationem ac salutem. Quæ sanè ad vitam ipsam conferunt particulæ, hæ principes sine dubio sunt habendæ: reliquorum verò duorum generum, ab primi generis præstantia discedentium, ea minus aliis discedere sunt putanda, quibus eæ principes facilè compatiuntur, magis verò, quibus minus facilè.

LXXI. Cur singulis musculis, vnius tantùm generis fibrarum natura insita est? aut enim rectas solùm habent secundum suam ipsorum longitudinem, aut transuersas secundum latitudinem, simul autem vtrasque nullus: cordi verò, & hæ vtræque, & tertiæ etiam obliquæ insunt, vt etiam matricibus vesicis, & ventriculo. An quum singuli

guli musculi singulos ac simplices solùm motus habeant, ideo vnum tantummodo fibrarum genus obtinuerunt? cordi verò propter motuum varietatem, omne fibrarum genus paratum esse oportuit, vt etiam ventriculo, vesicis, & matricibus.

LXXII. *Quinam cordis ipsius motus existunt? an dilatatio, adstrictio, & contractio? dilatatur enim quando, quod naturæ suæ est accommodatum, trahere appetit: adstringitur verò vndique quando ijs, quæ traxerit, frui tempestiuum fuerit: contrahitur denique, quando superuacaneis excernendis sese accingit.*

LXXIII. *Quamobrem arteriarum tunicas in animalis corpore crassiores natura fieri præstitit, venarum autem tenuiores? an quoniam satius fuit sanguinem tenui ac rara; spiritum verò crassa ac densa concludi tunica? nam quum sanguis crassus sit, & grauis, ægreque mobilis, spiritus verò tenuis ac lenis, & citus, periculum erat, ne hic expiraret repentè atque euolaret, nisi crassis, & densis, atque vndique constrictis, asseruatus fuisset tunicis: spirituosum enim ac tenuem sanguinem in arterijs contineri oportuit, vt spiritui animali alimentum suppeditaretur: contrà verò in sanguine, qui, nisi tenuis & rara fuisset, quæ ipsum continet tunica, non facilè circumfusis partibus distribueretur. An etiam addendum est, quòd arterijs propter perpetuum motum, robore quodam ac forti tunica opus fuit, qualis esse non poterat, si tenuis fuisset? itaque hac ratione, omnis, quam ex his perci-*

cipimus vtilitas, funditùs deperdita eßet, nisi ista hoc sese haberent pacto.

LXXIV. Sed cur in pulmone etiam non similiter venam tenuem, crassam verò etiam natura effecit, (variant etenim in pulmone vasorum natura, factaq; est vena arteriosa, arteria autem venosa (quum similiter hic & spiritus, & sanguis sese habeat, vt in cæteris animalis partibus? an quòd in hoc vno viscere melius fuit densam eße venam, raram autem arteriam, tum quòd arterijs hic promptè thoracis motibus obsequi opus fuit, venis autem minimè? neq; enim in inspiratione aut expiratione, venas quomodo arterias oportebat dilatari & contrahi, quod earum munus erat diuersum. has enim quòd spiritus conceptacula quædam à natura factæ erant, facilè quidem repleri inspirantibus nobis, celeriter verò vacuari expirantibus & loquentibus erat neceße: venas verò contrà, quòd eßent cibi veluti promptuarium paratæ, neque dilatari oportebat inspirantibus, neque expirantibus contrahi. Commodum igitur erat illis quidem molle, his verò durum corpus efficere: siquidem illas promptè obsequi vtrisque thoracis actionibus, has verò prorsus nihil eis obedire præstiterat: tum quòd pulmo, quod corpus leue ac rarum est, & velut è spuma quadam sanguinis concreta conflatum, puro sanguine & vaporoso ac tenui indigeret, vt cuiusque partis natura est, quæ sibi simili alimento nutiri postulat, effectum meritò est, vt vasa contraria haberet reliquis anima-

lis particulis: in quibus quum vasis sanguinem suppeditantis tunica rara sit ac tenuis, affatim crassi sanguinis ac celeriter partibus ipsis circumfusis distribuit: in pulmone, quòd crassa ea ac densa extitit, nihil nisi tenuissimum sinit elabi: & quum cæteris partibus arteriæ crassæ & densæ genitæ, paucum omnino, eundemque vaporosum sanguinem vicinis partibus trahere permittant, pulmoni solùm copiosissimum eiusmodi impartiunt, vt quæ præ raritate ac tenuitate continere ipsum nequeant. Ex quo igitur & nutriendi ratio pulmonis planè contraria est cæteris omnibus animalis partibus, mirum non est, quòd & vasa contraria habuerit.

LXXV Quamobrem ventriculorum cordis numerus in omnibus animalibus haudquaquam idem existit, sed his vnus tantummodo, illis verò duo insunt, dexter scilicet, & sinister? an ad magnitudinem corporis animalis & paruitatem, multitudo ventriculorum referenda est, vt scilicet quæ magna sunt plures, quæ parua vnum duntaxat habeant, vt nonnulli existimarunt? an potius hoc absurdum videtur? nam neque maximis quibusque animalibus sunt tres, neque minimis est vnicus: eandem enim equus habet cordis constitutionem, qui maximus est, & minimus passerculus: non itaque natura pro corporis magnitudine aut paruitate, diuersas facit, atque immutat instrumentorum formas. Quamobrem melius dicendum est, animalia ea omnia vno, dextro scilicet, pri-

uata

uata esse cordis ventriculo, quæ & pulmone & respiratione caruerunt: nam quum hic dexter ventriculus, pulmonis tantummodo gratia effectus sit, vt qui ad ipsum nutrimentum mittit, meritò quibus pulmo defuit, hoc etiam ventriculo orbata eße meruere.

LXXVI. Quanam attractionis specie cor ipsum ad sese materias trahere solet? an certum est, ipsum omnibus attrahendi facultatibus vti? siue enim eam attractionem spectes, quæ fit ad vacuum, consecutione, quem admodum scilicet fabrorum folles intrò ad sese aërem attrahunt, hæc omnium maximè cordi inest: si verò alteram, quæ fit ex qualitatis affinitate, vt lapis heraclius ferrum attrahit, consideres, manifestò fiet & ipsum familiaritate qualitatis attrahere. Quid enim spiritu ad refrigerationem cordi est familiarius? quid sanguine, qui ab ipso attrahitur, ad nutritionem vtilius? Tertiam amplius attractionis speciem contemplare, quo scilicet pacto ellychniorum flammæ oleum attrahunt, nonne & ea quidem ipsum pollere facultate prædices, quum ipsum caloris natiui principium sit? Patet igitur cor omnibus, quæ in mentem cuiuis venire possunt, attrahendi facultatibus præditum eße, hisque arripere, ac influentes materias exsorbere, easque citissimè in suorum ventriculorum sinibus excipere.

LXXVII. Quamobrem cordis ipsius corpus sinistra parte totum craßum admodum est, ac durum, dextra verò tenue ac molle? an vt esset materijs

vtrobique consentaneum, simul etiam, ne cor in alterutram partem propenderet? nam satius fuit tum spiritum ipsum parte crassiori contineri (sinistra enim pars ventriculi, spirituosi tegumentum est) tum sanguinis dextro ventriculo contenti pondus, sinistri molem æquabiliter sibi pendentem habere. Quòd si natura eundem ventriculum simul quidem craßum, simul & sanguine plenum effecißet, omnino ad illum cor totum conuerteretur atque inclinaret: nunc autem, quòd corporis moles grauior, materiæ leuiori sit circundata, leuior verò grauiori, æquabilis momenti ac ponderis cor ab vtraque parte fuit.

LXXVIII. Propter quid cor validum, crassum, ac densum corpus habere oportebat, pulmonem verò leue ac rarum? an quoniam cor ex seipso, pulmo verò ab alio, à thorace scilicet, mouebatur.

LXXIX. Propter quid cor ex seipso, ex vena scilicet caua dextro ipsius ventriculo inserta, non alitur, sed priusquam ipsa ad cor immigret, pars eius tanta, quanta maximè cordi nutriendo satis sit, seiuncta circa cordis caput, extrinsecus sese obuoluens, & in omnes ipsius partes dispergens, ipsi nutrimentum tribuit? an quum sanguis venæ cauæ, quę in cordis dextro ventriculo inseritur, calidus tenuis admodum, ac vaporosus euasurus esset, ob id cordi ipsi aptum nutrimentum esse non poterat, quòd scilicet craßum ac densum corpus existens, cibo crassiori etiam indigebat. Hac de

causa

causa igitur magis consonum esse videbatur, vt hoc sanguine crassiori cor aleretur, quàm illo venæ cauæ, qui in ipsius ventriculo dextro tenuior, vaporosiorque euasurus erat, ob pulmonis scilicet nutritionem: mutuam enim gratiam cor pulmoni referre videtur, quum ipsum à iecore nutriat, idque beneficij ipsi conferre pro eo spiritu, quem ex illo adspirat: cor itaque hoc pacto nutritur, pulmonique, qui leuis ac rarus maximè existit, simile ita alimentum præparat.

LXXX. Propter quid in magnis animalibus os chartilaginosum, in paruis autem corpus quoddam ex neruo & chartilagine conflatum ad caput cordis inuenitur? an vt stabilimentum quoddam, & quasi sedes cordis existeret? an verius dici potest, quòd natura ipsa, quæ vbiq; ligamentorum principia ad cartilaginem, aut chartilaginosum os annectit, ideo haudquaquam cordis ligamenta (eius enim generis sunt membranæ, quæ vasorum orificijs insunt) neque cordis tunicam, περικάρδιον *Græci dicunt, sed neque arteriarum tunicam, quæ corporis substantia ligamento est similis, erat neglectura, quin horum etiam omnium principia ad hoc chartilaginosum os aptaret?*

LXXXI. Cur asperam arteriam, aut chartilaginosam totam, aut totam membranosam natura non effecit, sed alternis chartilaginem ac membranam collocauit? an quoniam instrumentum hoc vnum duabus simul actionibus subseruire commodius non poterat? aspera namque arteria & vocis,

& respirationis simul instrumentum existit, quorum vni chartilagine, alteri membrana opus fuit: ad vocis etenim generationem chartilagine opus fuit, quæ sola in animalis corpore eiut symmetriæ existit, vt ad ipsam aere percutiente sonus ille ac vox commodè generari possit: respirationis verò motus membranosa requirebat, quia in chartilaginosa substantia, quæ neque dilatari, neque contrahi ob duritiem potest, effici non poterat.

LXXXII. Sed cur arteriæ huius chartilagines perfectos circulos non faciunt, sed ipsarum singulis deeße exiguum aliquod videtur? an ideo ea parte, qua arteria stomachum erat contactura, ligamenta colligantia chartilagines supposuit natura: qua verò externa vis erat occursura, ea chartilagines, quæ ipsam exciperet, opposuit, vt neque stomachus ab ipsarum duritie comprimatur, neque facilè arteria lædatur, mollioribus suis partibus iniurijs externis exposita. An ob maius etiam emolumentum, huiusmodi constructionem aspera hæc arteria sortita est, ob ciborum scilicet ac potionum multas simul ac subitas transglutiones? nam si chartilagines omnes rotundæ omnino fuißent, præterquàm quòd stomachum ipsum comprimerent, in ipsius conuexitatem incidentes, angustiam etiam quandam non mediocrem in maiorum molium transglutiones efficerent.

LXXXIII. Cur pulmonis caro ita mollis, foraminulenta, ac spirituosa effecta est? an vt externum äerem, qui familiare spiritui alimentum futurus

erat,

erat, concoqueret, ipsum ita prouidens natura constituit?

LXXXIV. Quæ nam thoracis ac cordis motuum principia existunt? an huius natura, illius anima, motus causa extat?

LXXXV. Cur pulmo continuus sibiipsi partibus omnibus factus non est, sed est in lobos potius dissectus? an ut totus facilè ac tutò dilatari ac comprimi posset? si enim continuus omni ex parte sibiipsi factus esset, fortassis angeretur: tandem quædam eius particula in inspirationibus vehementioribus totam thoracis capacitatem repentè ac semel replere coacta: vt igitur etiam in angustas eius partes facilè pertineat, ipsa pulmonis in lobos diuisio apta magis fuit.

LXXXVI. Quænam septi transuersi substantia propria est? an musculus? tunicæ verò ipsi duæ sunt, inferior quidem peritonei tunicæ summitas, superior verò basis tunicæ costas subcingentis.

LXXXVII. Sed quam ob causam tunica hæc subtenditur toti interno thoracis sinui? an vt pulmoni, vice propugnaculi, existeret, ne scilicet dum ipse respirante animali agit, nudis ossibus incidat?

LXXXVIII. Quid causæ est, quòd neque osseum totum, neque carnosum totum, thoracem natura effecit: sed ordine commutato, os & musculum vicissim posuit? tametsi totum epigastrium ex musculis, cranion autem osseum totum factum est. an

quum tria essent principia, quæ animal ipsum administrant, os quidem immobile sine musculis primo principio circumiecit, solos verò musculos tertio, medio porrò amborum & ossa & musculos. cerebrum nanque in nullos vsus musculis indiguit? ipsum enim in omnibus animalibus motus voluntarij, alijs partibus est principium: quò fit, vt cranion immobile, quasi murus ipsi iure sit circundatum: quòd si hepati aut ventri septum eius generis aliquod in orbem fuisset circunfusum, quònam cibus & potus subirent? vbi fœtuum moles reconderetur? quomodo denique excernerentur superuacanea, si nullus eis præesset musculus? Quod autem ad thoracem attinet, motum penitus amisisset, si ex solis ossibus factus fuisset: sin verò contrà ex musculis solis, inciderent ij pulmoni & cordi, nemine eos impellente. Vt igitur simul quidem spatium quoddam amplum intus esset, simul autem totum instrumentum moueretur, musculi ossibus alternatim fuerunt interpositi: quæ etiam res ad cordis ac pulmonis securitatem momentum habet non mediocre: magis enim nunc nutriuntur, quàm si soli musculi facti fuissent.

LXXXIX. Sed cur non ita etiam venter ipse extitit? si enim thorax ei fuisset circundatus, cuiusmodi cordi etiam est circuniectus, penitus similiter conseruaretur, maiorque securitas ei accederet? an quoniam fieri non potuisset, vt quæ in ipso ventre sunt, dilatarentur ac comprimerentur, si extrinsecus ossa ei apposita fuissent? nam si ita esset, neque

que fœmellæ concipere, neque etiam ad saturitatem omnino comedere homines poßent, sed vt respiratione continua, ita esu assiduo indigerent. at illâ quidem non indigere, non est alienum animali, præsertim in aere degenti: cibis verò si similiter egeremus, vita nostra à Musis ac Philosophia eßet admodum aliena, & ad pulcherrima quæque impedita: quæ vt omittantur, quem ex respiratione fructum percipimus, is diuturnus eße non potest: at cibo ac potu semel impleti, diem integrum ac noctem sine molestia perduramus, vt eo nomine admiranda etiam fuerit natura.

X C. Cur mammæ animalibus quibusdam in thorace, quibusdam in ventre locum sortitæ sunt? an iure optimo, quibus animalibus in cornua ac dentium magnitudinem, iubam, & si quid aliud eiusdem generis est, partibus superioribus copia superuacuorum insumebatur? In his quidem ad thoracem nō poterat aliud aceruari vtile excrementum, quale lac (vtilis enim alimenti lac superuacaneum est) vnde ad ventrem eorum natura mammas ex thorace deduxit (mammæ etenim lactis causa extiterunt) & ad imas adeo quibusdam totius ventris partes depreßit, vt posterioribus cruribus sint proximæ. Porrò quibus animalibus in partibus supernis superuacui nihil absumitur, his in pectore ipsas natura collocauit, & si vnum aut duo concipiant, duas: sin verò plura, duas quidem in pectore, alias verò inferius adhibet: fœcundis enim mammas multas inesse melius fuit, vt in-

fœcun-

fœcundis binas. An etiam ob id in homine mammæ pectore meritò inhærent? primùm quòd locus hic ipſis omnium eſt aptiſſimus, ſi aliud nihil vetat: tum autem, quòd quum cor oſſi pectoris, quod στέρνον *Græci appellant, ſubijciatur, tegmentum quoddam hoc ipſi accedit ex mammis vtrinq; ipſi appoſitis: poſtremò, quòd eo in loco copioſiſſimum benigni alimenti ſuperuacuum in hominibus poteſt colligi.*

X C I. Cur mammæ in mulieribus plurimum abundant, viris autem minus attolluntur? an quòd præter lactis vſum, mammis mulieres magis indigent? Quum enim etiam ad operimentum cordis factæ mammæ ſint, & ad recalfactionem, (mammæ etenim à corde, principium caloris adeptæ, ipſum rurſus recalfaciunt) mulieresque & cor ipſum & ſubiecta hypochondrijs viſcera, minus calida viris habeant, iure his tributum à natura eſt, vt mammarum magnitudo ipſarum caliditatem magis iuuaret.

X C I I. Quibusnam animalibus maſculis etiam mammæ ſeruantur? quibus minimè? an quibus mammæ in pectore inſunt, ſeruantur etiam in maſculis: Quibus verò in ventre ſolùm inſunt, non adhuc ſeruantur, niſi partus ſimilitudinem corporis cum matre potius, quàm cum patre obtineat, quòd fortè dictorum vſuum aliquo non indigebant?

C X I I I. Cur piſces collo caruerunt? an quoniam pulmone, aſpera arteria, voce, ac reſpiratione

tione non indigebant? horum enim gratia collum extitit, quò fit, vt ista semper vel generentur vnà, vel intereant.

XCIV. Quamobrem animalia quædam longitudine colli adeo præcelluerunt, vt ipsum tibijs æquale longitudine adepta sint? an illis animalibus ideo collum ita longum effectum est, vt ipso manuũ munia præstante, ea alimentum sibi à terra suppeditare possent? quapropter etiam hæc genas longiores admodum sortita sunt.

XCV. Quamobrem sensoria omnia neruum mollem habuere; motus verò instrumenta durum? an ob id sensoria ipsa neruum, qui sensus instrumentum est, mollem habuere? quoniam vt sensus fiat ab extrinsecus occursante, sensorium ipsũ adficiatur quodammodo necesse est, ac patiatur: Porrò quod molle est, ad patiendum aptius est, sicut quod durum est, ad agendum; quare motus instrumentum duro neruo indiget.

XCVI. Cur sensoria omnia prope cerebrum esse oportuit? an quum ipsa molles, vt dictum est, neruos requirerent, ob id non longè à cerebro sita sunt, ne longius nerui ipsi protracti disrumperentur (periculum enim id in longa protractione imminebat) aut duri euaderent, & ob id sensui inepti? nullum enim horum videre potes, postquàm cranio exciderint, vlterius procedere, quomodo duros. Patet igitur propter quod sensoria ipsa prope cerebrum sint, ac amplius propter quid in capite sita sint, propter cerebrum etenim.

XCVII.

XCVII. Sed quamobrem natura cerebrum in capite locauit? an propter oculos? propter hos etiam caput ipsum natura animalibus effectum esse videtur: non enim his, qui soli quàm simillimi sunt, licebat in partibus imis esse: nam illorum actio locum editum postulabat, ob similem scilicet causam, qua qui hostium aut prædonum infestos incursus à longe speculantur, muros ac turres altas, aut montes quosdam conscendunt: quaque etiam, qui nautæ ad nauium antennas ascendunt, terram prius intuentur quàm vectores, quanquam hi in eadem sint naui: naui: nam, qui in celsum aliquem locum ascendit, plura loca prospicit, quàm qui in loco est humiliori: quibus igitur instrumentis munus hoc prospiciendi demandatum erat, merito editissima sede opus erat.

XCVIII. Quamobrem cerebrum ita molle extitit? an quum sensus omnes recipere deberet, omnesque imaginationes atque intellectus complecti, id illi maximè conueniebat? quandoquidem quod facilè immutatur, id est in eiusmodi actionibus atque affectibus aptissimum: & quod mollius est, id facilius duro immutatur, proinde igitur cerebrum molle extitit.

XCIX. Quamobrem item cerebrum duplex est, mollius quidem anterius, reliquum autem durius? an ob neruorum duplicem materiam? duplex etiam effectum cerebrum est, & mollius anterius, vt quod principium mollium neruorum ad sensus instrumenta pertinentium, esset futurum. Duriu

verò

verò posterius principium, & ipsum neruis duris in corpus vniuersum diffundendis futurum: ex hac enim posteriori parte cerebri, nullus mollis producitur neruus, vt ex anteriori duros quosdam produci necesse fuit, in quibus sunt hi, qui oculos moturi erant: tametsi mollibus sunt propinqui, qui non ex profundis tamen partibus, quomodo molles, ortus sui principium duxerunt, sed ex durioribus ac superficiarijs.

C. *Quanam cerebri parte spiritus animalis conficitur ac praeparatur? an in antorioribus duobus cerebri ventriculis, qui etiam hoc muneris praestant, vt inspirationem & expirationem, efflationemque ex cerebro efficiant: simulque infernis suis partibus quae spectant, ad nares olfactorium instrumentum sint: simulque etiam sint, veluti ductus quidam ac canalis ad superuacuorum effluxionem accommodus.*

Finis Libri Primi.

ALOYSII



ALOYSII TRISSINI

Problematum Medicinalium, ex Galeni ſententia.

LIBER SECVNDVS.

I.  *VÆ nam geminatorum omnium inſtrumentorum vtilitas exiſtit? an vt, ſi alterum ipſorum læſum fuerit, reliquum actioni ſubſeruiat? tutius itaque eſt, in quibus licet (licet autem non vbique) quod geminum eſt, quàm quod ſimplex.*

II. Cur viſificos neruos plerique Anatomicorum poros appellarunt? an quòd ſoli hi ſenſibiles poros, hoc eſt, meatus, in ſeipſis habere videantur?

III. Sed cur hæc ſola omnium neruorum productio, meatus ſenſibiles habuit? an quòd ſola hæc ſpiritum animalem continet quàm plurimum?

IV. Cur

IV. Cur anteriores cerebri ventriculos, in vnum terminari locum optimum fuit? quem sanè quartum totius cerebri ventriculum, nonnulli Anatomici numerant: nonnulli verò, hoc ipsum perforationem vocant duorum ventriculorum, nec concedunt alium quendam ventriculum oportere exsistimare: ex qua tamen controuersia nullum neque commodum, neque detrimentum sequi videtur. An hæc causa extitit, meatus scilicet ventriculos ipsos cũ posteriore cerebri parte (παρεγκεφαλίδα Anatomici nuncupant) coniungentis generatio? ex hac enim cauitate profectus, is meatus spiritumq; qui ea continetur, excipiens, parencephalidi transmittit.

V. Cur posterioris cerebri ventriculus, minor alijs existit? an quoniam substantiam minus materialem, excrementisque expurgatam ac præparatam, maiorumque virium ac facultatum præditam continet? Ventriculos siquidem, qui materiales magis substantias ac minime præparatas recipiunt, consentaneum est maiores esse, minores verò alios.

VI. Cur cerebri corpus ita perplexum ac varium, multisque flexibus tenui meninge interceptis conflatum fuit? an ob animalem spiritum ita effectum est? nam quum in toto cerebri corpore, non in solis eius ventriculis, spiritus animalis multus contineatur, existimare oportet in flexibus ipsis media illa interualla, quæ partes eius connectunt, spiritus esse vias. Neque enim ita perplexam esse

cerebri

cerebri compositionem in hominibus dicendum est, vt Erasistratus pronunciauit: propterea quòd homines mente ac ratiocinatione cætera animantia superant, quum ipsi certè etiam asini cerebrum habeant admodum perplexum, quos oportebat, si morum spectes ruditatem ac stuporem, cerebrum habere simplex omnino, & sine vllo plexu ac varietate. Melius autem fortè fuißet existimare intellectum sequi, non compositionis varietatem, sed corporis, quod cogitat atque intelligit, quodcunque id sit, bonam temperiem: neque bonitas ac perfectio intellectus, multitudini spiritus animalis potius videtur attribuenda, quàm qualitati.

VII. Cuius nam rei causa glandula illa in cerebro, quæ ab Anatomicis, à figura κώνῳ *simili,* κωνάριον *appellatur, effecta est? an existimamdum est, eandem ei esse vtilitatem cum piloro ventriculi? nam vt hunc confirmant eße glandulam, prohibereque ex ventriculo cibum, priusquam is coctus sit, in tenue intestinum transumi: ad eundem modum & hanc glandulam* κωνάριον *in principio meatus constitutam, qui meatus spiritum ex medio ventriculo in* παρεγκεφαλίδος *ventriculum transmittit, custodem quendam esse aiunt, & velut œconomum eße, quantum spiritus mitti oporteat. An melius dicendum est, hanc glandulam cono adsimilem, magnæque arteriæ diuisionem opplentem: à qua omnes ferè, qui in anterioribus sunt ventriculis plexus,* χοροειδεῖς *conflantur in eum vsum, in quem glandulæ reliquæ venarum diuisionem firmantes, fuisse factam?*

VIII.

VIII. Sed quid meatui illi cerebri, quod ſpiritus tranſitui præſit ac dominetur, appoſitum eſt? an epiphyſis ea vermiformis, quam σκωληκοειδὴ Græci appellant? huius enim partis actio hæc exiſtit, non autem glandulæ illius.

IX. Quænam è prauis ſuccis in membro quopiam aceruatis mala oriri ſolent? an primùm inſtar oneris ipſum grauant, deinde verò prohibent, quo minus ſucci boni poſtea adfluant, vias ipſorum præoccupando, quò fit, vt membrum ipſum nutriri non ſinant. An hæc quidem ſunt leuiora? Maiora verò his etiam morborum inſtrumenta duo hæc ſunt, in quæ incidere tandem corpora impura neceſſe eſt: alterum quidem eſt, quòd quemadmodum animalia eſurientia lutum aut aliud quoduis eiuſmodi generis, ita partes accommodato ſibi alimento carentes, ob ingenitam ſibi appetentiam coguntur aliquid vel ex ipſis prauis ſuccis attrahere: alterum verò, quòd collecta hæc excrementa tandem computreſcunt, eoque modo acriora ſimul ac calidiora reddita inflammationes, eryſipelata, herpetes, carbunculos, febres, innumerabilemque aliorum morborum turbam exſuſcitant.

X. Cur meatuum omnium ſuperuacuorum corporis excretioni accommodatorum locus vnicus, modusque idem ac natura ſimplex non extitit? an quoniam nec ſuperuacuorum genera ſimplicia ſunt, horum enim alia ſunt vaporoſa ac fumoſa, alia autem velut aquoſa ac limoſa, quorum illa quidem ſuo impetu naturali in ſublime feruntur, hæc autē deor-

niri erat necesse, ob eamque causam natura non cuti soli, quomodo partes ad ventriculum attinentes huiusmodi custodiam concredidit, sed veluti στεφανιαῖαν quandam, hoc est galeam, os ipsi ante cutem circumposuit: non solùm non copiosiorem reliquis partibus euacuationem, sed ne mediocrem quidem erat habiturum, nisi multas ipsi transpirationes comparaßet, simul os capitis efficiens cauernosum, simul & suturis, quas vocant, variè coarticulatum: quas etiam ob eam causam fieri oportebat, quod pericranion membranam crassæ meningi connecti opus erat. An etiam alia harum vtilitas existit, quæ ad vasa tenuia excidentia pertinet, quibus & ipsis congruentia natura fecisset foramina, quemadmodum & crassis, nisi futurarum generationem prospiciens neceßariam, ea ad hanc rem abusa etiam fuißet? Satius enim est per pauca instrumenta actiones atque vtilitates multas perfiei, quàm paucas per multa.

XII. Sed quamobrem cranion ipsum, quum suturæ propter ipsarum multitudinem ac magnitudinem nihil alieno auxilio ad transpirationem indigeant, cauernosum ita fieri præstitit? an propter aliam quandam vtilitatem, eiusmodi ipsum esse oportuit? nam si natura densum simul ac tenue totum os superius fecisset, quæ subsunt partes, nihil plus ex ea constructione ad securitatem fuissent adsequutæ, quum ea quæ vulnerant id, intrò facilè penetrare potuissent, propter viæ breuitatem: sin verò craßum simul ac densum, oneri fuisset

toti animali, quemadmodum ſi quis nunc capiti ſuo onus aliquod alliget, perpetuoque id geſtet. Reliquum igitur adhuc erat tertium, vt neque tenue, neque denſum, ſed craſſum quidem, rarum tamen ac cauernoſum eſſet: eo enim modo neque grauaturum erat, neque viam in cerebrum breuem vulnerantibus ſeſe erat daturum. Factum igitur tale eſt, propter ea, quæ nunc ſunt dicta, atque adeo ob tranſpirationem.

XIII. Vndenam duo illi meatus ad palatum deſcendentes ortum habent? an alter ex fundo medij cerebri ventriculi profectus fertur deorſum, reliquus verò à meatu, qui cerebrum περεγκεφαλίδι connectit, emergit?

XIV. Cur narium oſſa, quæ ab Anatomicis à cribri ſimilitudine vocantur ἠθμοειδῆ, vel melius à ſpongiæ ſimilitudine σπογγοειδῆ quemadmodum Hippocrates ea comparauit, foraminulenta admodum & cauernoſa ſunt, variaque habent foramina, neque recta, ſed tortuoſa & anfracta? an natura oſſa hæc variè pertuſa velut ſpongiam cerebro appoſuit, ſimul ne aliud corpus durum quoddam extrinſecus incidat, ſimul ne viribus integris aër frigidus inſpirantibus nobis rectà in cerebri ventriculos ſeſe inſinuet? non enim ſemper eramus inſpiraturi aërem moderatè frigidum, ſed nonnunquã vel frigidiſſimum: qui ſi rectà in cerebrum incideret, ipſum profectò immodicè refrigeraret, omnemque vitam in periculum adduceret: oſſa igitur iſta, vt eſſent aduerſus hanc noxam auxilio, ita fuerunt comparata.

XV. Cuius

XV. Cuius rei gratia arteriarum plexus ille admirabilis retiformis, quem δικτυοειδὲς πλέγμα Græci appellant, qui toti propemodum cerebri basi subiicitur, à natura effectus est? an vt spiritus animalis cerebri, cuius generatio materiam propriam habet spiritum vitalem: qui per arterias sursum fertur, exactius concoqueretur ac perficeretur? Vbi enim natura exactè materiam vult conficere, diuturnam ei moram incoctionis instrumentis comparat: qua ratione etiam seminis confectioni, ex arterijs & venis flexum variciformem comparauit, in quo sanguis ac spiritus ad spermatis generationem adcommodi adparantur: at quanto spiritus animalis cerebri exactiorem semine postulabat concoctionem, tanto plexus retiformis flexuosior variciformi extitit.

XVI. Quonam pacto spiritus animalis conficitur? an ab asperis arterijs extrinsecus spiritus trahitur, & in pulmonis carne primùm conficitur: tum autem in corde atque arterijs, & his maximè, quæ in plexu sunt retiformi: vltimùm ac perfectissimè in cerebri ventriculis, vbi animalis exactissimè efficitur?

XVII. Cur venæ ac arteriæ in cerebro ex locis diuersis, aut potius contrarijs, omnino inseruntur, quum in reliquo animalis corpore hæ adcò sibi mutuò sint vicinæ ac propinquæ plerumque, vt in partibus quibusdam etiam sese contingant, venaque arteriæ incubet? In cerebro verò arteriæ sursum ab infernis partibus feruntur, venæ autem ex vertice

in ipſum deſcendunt: his enim pariter à corde ſurſum per thoracem ac totum collum, ad ipſum vſque caput deductis, inde venæ ad ſummum capitis verticem productæ ſunt, arteriæ verò ad plexum retiformem. An hoc admirabili quodam artificio à natura fuit comparatum, vt ſcilicet, quæ ex ipſarum orificijs elabuntur, ſubſtantiæ, totum cerebrum permeent; quādiu enim in ipſis vaſis continentur, in omnes corporis partes vnà cum illis feruntur: poſtquàm autem ſemel ex ipſis exciderunt, fertur vtraque ſecundum proprium momentum, leuis quidem ac tenuis ſurſum, deorſum autem craßa & grauis.

XVIII. Quamobrem cranion ex multis oſſibus componi melius fuit? an vt ſi quando percuſſum, ruptum ve fuerit (multa enim eiuſmodi ſolent accidere) ne longè repturæ eius progrediantur, ſed inhibeantur illic, ac ceſſent, vbi & ſaucium ipſum os ceſſat: tot itaque futurarum & hæc vtilitas extitit.

XIX. Quotnam, quæ ne ſunt omnes capitum figuræ? an quatuor? Prima etenim eſt & propria naturaliſque capitis figura, quæ velut ſphæra quædam prælonga eſt, ſcilicet veluti ſi excogitares ſphæram exquiſitè rotundam ex cera conflatam, & paulatim vtrinque depreßam: in hac enim neceſſe eſt, vt poſteriores, prioresue partes plus gibbę fiant, quàm ſphæræ conueniat: quæ verò vtrinque conſiſtunt, magis rectæ. Altera eſt huic planè contraria, quando ſcilicet caput ambas emiſerit eminentias, occipitis ſcilicet alteram, reli-

quam

quam autem frontis: æquale autem sit undequaque & quasi perfecta sphæra. Duæ verò aliæ sunt figuræ, quarum altera quidem in fronte, altera verò rursus in occipitio nullam habet eminentiam. Quinta verò capitis species cogitari quidem posset, sed fieri non potest, ut scilicet caput ad utranque aurem efficiatur prominentius, quàm in fronte & occipitio.

XX. Sed quales nam cuiusque harum figurarum suturæ existunt? an primæ naturalis capitis figuræ una recta per medium ipsius à posterioribus in anteriora est extensa, duæ autem transuersæ hanc excipiunt, quarum alteram posteriorem λαμβδοειδῆ appellamus, aliam autem anteriorē, στεφανιαίαν, id est, coronalem, fitque trium suturarum figura H, Græcæ literæ similis? Cæterùm capitis sphærici ac rotundi suturæ, X, literæ sunt similes, duabus tantummodo suturis sese in duo interfecantibus, altera quidem ab aure una ad alteram transuersa, altera verò recta per medium verticem ad frontem mediam extensa. In figura verò, quæ in occipitio nullam habet molem, suturæ quidem manent recta & coronalis, perit autem lambdoidis, fitque ex his duabus suturis figura, T, literæ adsimilis: quemadmodum sanè & quum capitis eminentia in fronte perierit, simul cum ipsa perit & coronalis, relinquitur verò sola recta cum lambdoide, rursusque etiam figura hæc compositionis similis T literę efficitur.

XXI. Cur in posterioribus etiam capitis parti-

bus oculi non extiterunt ? an quòd omnia sensus instrumenta neruos postulabant molles, cuiusmodi à cerebello produci non poterant?

XXII. *Cur oculos adeo mobiles effici melius fuit ? nonne & immobiles omnia similiter contueri poterant ? an quum nihil nisi quod pupillæ ipsorum est directum, queant cernere; si immobiles extitißent, quod sibi ex directo oppositum esset, duntaxat videntes, paucissima prorsus cernerent: satius itaque extitit, eos sic disponi, vt plurimum circumagi possint.*

XXIII. *Quotnam musculi oculos ipsos moturi extiterunt ? an quum oculorum motus sint quatuor, vnus quidem, quo hi intrò versus nasum adducuntur, alius autem, qui extrà versus paruum canthum eos abducit, tertius, quando sursum tolluntur versus supercilia, quartus, quo deorsum versus poma trahuntur ? Consentaneum fuit & musculos, qui motuum illorum duces essent, totidem esse numero: duos quidem ex lateribus, alter scilicet in altero cantho: alios autem duos, quorum vnus est infernus, alter supernus: & aceruati hi omnes suis aponeurosibus, circulum vnum efficiunt, lati tendonis in iridem desinentis: quum verò oculum circumagi etiã esset melius, natura alios duos musculos positione obliquos effecit, singulos in singulis palpebris versus minorem angulum suprà ac infrà extensos: proinde horum etiam musculorum beneficio oculum maximè quoquò versus promptè circumuertimus ac circumagimus. Est porrò &*

alius musculus magnus circa eorum radicem constringens ac muniens nerui illius mollis immissionem, oculum verò sursum attollens ac eleuans, ac nonnihil etiam simul conuertens: facile enim rumperetur mollis ille neruus in vehementibus, in caput lapsibus violenter concussus, nisi vndique stabiliretur ac interciperetur, modisque omnibus constiparetur: tot igitur ac tales oculorum musculi extiterunt.

XXIV. Quamobrem musculus vnicus tantùm in nulla parte motu voluntariè prædita reperitur? sed partes huiusmodi omnes duobus ad minimum indigent musculis sibi ipsi oppositis, altero scilicet extendente, & alterò flectente? An quòd vnicus tantùm musculus, motus vtrosque efficere non potest, propterea quòd partem, quam moturus est, omnino ad seipsum trahit? musculi enim omnes versus proprium principium tenduntur.

XXV. Quinam musculi sunt palpebras mouentes, superiores scilicet? nam quod ad inferiores attinet, eæ prorsus immobiles sunt. An vnus quidem in maiore cantho apud nasum obliquus constitutus musculus ad tarsi partem dimidiam, quæ illic est, perueniens: alter verò totus & ipse quoque obliquus, sed etiam ad minorem canthum extensus, ad reliquam tarsi partem dimidiam sibi propinquam proumpens? Quando igitur musculus prior dictus agit, partem palpebræ sibi continuam, quæ est ad nasum, deorsum trahit: quum

verò

verò alter, reliquam sursum trahit: huius enim caput ad supercilium, illius verò infrà ad maiorem canthum constitutum est, & omnes (vt dictum est) versus proprium principium musculi natura flectuntur.

XXVI. Sed cur altero musculorum agente, ad seipsumque palpebram trahente, alter prorsus cessat, aperirique tunc ac claudi totam palpebram contingit, trahitque semper pars altera tarsi, quæ mouetur, vnà secum & reliquam? An causa huius rei est durities? si enim membrosa esset pars ea, aut carnosa, aut quouis alio modo mollis, non vtique partem motam altera sequeretur: id quod præuidens natura, durum ac chartilaginosum tarsum (substantia enim hæc est chartilaginosa, instar ligamenti cuiusdam corpori membranoso palpebram gignenti subiectum) ipsi palpebræ apponens, vtriusque musculi fines in ipsum immisit. Quemadmodum sanè, si virgam quandam curuam ac reflexam vtrauis parte accipiens traxerit, tota sequitur, ad eundem modum & tarsus totus vtriusuis musculi tractum sequitur.

XXVII. Quam ob causam & palpebra inferior, motus particeps non extitit, quum ad eundem vsum facta sit, locumque recipiendis musculis non minus habeat accommodum? Natura certè videri hic posset iniusta, si quum vtrique palpebræ totius motus partem dimidiam poßet tribuere, ipsa totum alteri eßet gratificata: neque in hoc solùm, verùm etiam in eo nihilominus videri potest

iniusta,

iniusta, quòd inferiorem multò minorem effecit: oportebat enim quemadmodum auribus ac labijs & nasi aijs, ita & palpebris vtrisque magnitudinem ac motum tribuere æqualem. An positio huiusce discriminis est causa? si enim palpebra inferior longior, quàm nunc est, extitisset, non fuisset similiter constans, sed in se ipsam defluens corrugaretur, laxaque fieret, ab oculoque discederet: & quod his adhuc est maius, colligeretur in ea lippitudo ac lachryma, & eiusdem generis omnia, quæ in excernendo difficultatem haberent, ex quo intelligitur satius fuisse paruam ipsam fieri: talis enim oculo semper adstricta atque adpressa, & ad vnguem circumplectens, excrementa omnia facilè exprimit, quæ quum esset eiusmodi, prespicuum est, quòd motu etiam non indigebat.

XXVIII. Quid causæ est, quòd neruos sensum videndi oculis exhibituros, natura à cerebro rectà ad oculorum regiones non produxit, sed introrsum prius eos reflectens ac coniungens, ipsorum meatus vnà coëgit pòst verò vtrunque rursus ad oculum, secundum rectitudinem supernæ productionis, produxit? an quum fieri non posset ob ipsius cerebri dispositionem, vt protinus supernè ab ipso cerebro vnum vtrisque principium natura constitueret, sed alterum quidem à dextris eius partibus, alterum à sinistris produci opus esset, ideo ita in medio loco ipsos inter se cogi ac coniungi oportuit, ne scilicet, quod extrà intuemur, duplex appareret? hæc igitur prima & maxime necessaria vtilitas

eſt, cur neruorum horum meatus ita constructi fuerint.

XXIX. *Quid eſt, quòd ambobus oculis apertis, ſi altero tantùm rem quampiam intueri voluerimus, prius re aliqua inter oculos ad naſum, ſecundum longitudinem extenſa, prohibent quo minus ab ambobus, quæ extrinſecus ſunt obiecta, cernantur, rem obſcurè videbimus: ſi verò alterum clauſerimus, multò clarius altero intuebimur? an in cauſa hoc eſt, quòd ſpiritus, qui à cerebro ad vtrunque oculum proficiſcitur, ſi quando alter eorum clauſus fuerit, in reliquum commeat, ſicque viſoria facultate eo modo duplicata, viſus acutior fit? ſi verò primo modo cernere voluerimus, obſcurè videbimus, ipſa ſcilicet iam diuiſa facultate.*

XXX. *Quibusnam ex partibus ſaliua in os deriuatur? an à glandulis, quæ linguæ radici ſunt adiunctæ?*

XXXI. *Cur temporales muſculi genas ſcilicet mouentes læſi, noxam omnium maximam inferunt? Conuulſiones etenim, febres, caros & deliria inferunt: an quia neruorum principio maximè proximi ſunt, ſolumque ipſos os prohibet, quo minus cerebrum ipſum contingant? Porrò muſculi temporales, propterea quod magni ſunt, magis etiam, quàm oculorum muſculi nocere cerebro poſſunt: propterea etiam, quia neruorum, qui ad oculorum muſculos feruntur, principium eſt vnicum, plura verò eorum, qui in temporales immittuntur: hinc etiam patere cauſa poteſt.*

XXXII.

XXXII. Cur soli hi temporales musculi in capitis ossibus abditi sint, quòd scilicet inter omnes alios, si læsi fuerint, maximas pariunt noxas? Ne igitur adficerentur ab extrinsecus ipsis incidentibus, quæ contundere scilicet atque incidere solent, natura oßa dura in orbem, quasi septum quoddam, eis circumiecit. Si enim quæ propinqua, quæ communia & quæ prima sunt, maximè lædi solent, quemadmodum dicit Hippocrates, nihilque propinquius cerebro sit, quàm temporales musculi, neque quiuis alius musculus per plures neruos cerebro communicet, consentaneum est, cerebrum exaudire quàm celerrime, ac sentire ipsorum effectus: ob eamque etiam causam rectè dictum est, lethales plagas & caros in temporibus fieri.

XXXIII. Sed quum temporales hi musculi maxillam inferiorem mouentes claudantes, quinam sunt reliqui ipsum aperientes ac circumagentes? an & alij sunt musculi numero duo, os aperientes? quot etiam sunt temporales ipsum claudentes? inferiores scilicet vtrique, vtrisque superioribus parte genæ inferioris altera oppositi? principium autem generationis ex posterioribus capitis partibus habentes, quo loco sunt proceßus stiloides, hique os aperiunt; alij autem quidam duo musculi, ad mandibulæ in masticationibus circumactionem à natura fuerunt comparati, qui carnosam quoque genarum partem constituunt, mouenturque & maxillam circumagunt, pro varia fibrarum atque insertionum actione, vt motibus alijs

alios vicissim excipientibus, multiplices fiant in masticationibus actiones: hosque etiam conuenienter musculos μασητῆρας id est, masticatores nuncupant, tametsi ad musculos quoque temporales non minimè appellatio hæc pertineat. Tria itaque hæc musculorum genera, ad mouendum os natura adhibuit, quorum alij quidem aperiunt, alij verò claudunt, alij variè circumagunt.

XXXIV. Cur animalibus quibusdam aures mobiles effectæ sunt, homini verò non? an quoniam animalibus omnibus magnas aures habentibus, ipsarum mobilitas vtilitatem magnam ad sonos ac voces facilè percipiendas confert, vtpote aure ipsa etiam sonum aliquem edente: homini verò, quum paruæ sint (incommoda enim tanta aurium magnitudo homini fuisset, dum caput pileis, aut galeis, aut alijs id genus tegere vellet, quod non rarò facturus erat) parum omnino aut prorsus nihil erat, quod ipsum iuuassent, si mobiles ac versatiles fuissent: quapropter meritò, aut nihil omnino in hominibus mouentur, aut exiguum quendam atque obscurum habent motum.

XXXV. Vtrum natura perpetuò ob primum illum partium omnium constructionis scopum, ob vtilitatem scilicet, fabricetur, vel etiam quandoque ex abundanti quidpiam operatur? an necesse est naturam etiam nonnunquam ex abundanti partium pulchritudinem adsequi? ex abundanti etenim natura, quemadmodum & boni artifices, præter opus institutum, artem suam ostentant,

tant, membra omnia, eaque hominum potissimùm exornat: nam pili, qui ad malas proueniunt, non modò genas operiunt, verùm etiam decus atque ornamentum adferunt: venerabundus enim magis mas apparet, idque potissimùm si ætatis progressu pili vndique ei pulchrè circumfunduntur.

XXXVI. Quæ causa etiam fuit, cur mala quæ vocant, & nasum, natura pilorum expertia ac nuda reliquerit? Syluestris enim eo modo ac fera facies tota fuißet, haudquaquam animali mansueto ac politico conueniens, sed & mulieri totum corpus molle, instar puerorum, semper ac glabrum habenti, ne faciei quidem glabrities, ornamenti expers erat futuro: alioqui etiam animal hoc, mores non habet venerandos ac masculus, proinde ne forma quidem ei erat opus veneranda: natura enim animæ moribus, corporis formam facit conuenientem.

XXXVII. Sed nec operimento muliebre genus eximio indigebat, quo frigus propelleret, vt quod domi partem maximam sese contineat, capite tamen comato tegumenti gratia & ornatus egebat, quod ipsis cum viris iam est commune. Quinetiam propter vtilitatem aliam neceßariam, tum malarum, tum capitis pili nobis insunt: quum enim ex humoribus halitus sursum ad caput efferatur, craßioribus eius excrementis potißimùm ad pilorum alimentum natura abutitur: in viris autem, quanto hi mulieribus sunt calidiores, tanto hæc quoque excrementa sunt plura: proinde duplicem his natura in-

ra in-

ra inuenit vacuationem, alteram ex capitis, alteram ex malarum pilis.

XXXVIII. Propter quid autem frons quoque pilos non habuit, quomodo & caput totum? an quòd à pilis capitis, quantum opus est, tegitur, vt ea ratione pilis proprijs ipsi non sit opus? quòd si pilos produxisset, tondere ipsam assiduè nobis fuisset necesse, quòd ipsa oculis incumberet. Porrò scimus naturam magna cura prouidisse, ne corpus homini negotium subinde facesseret, nève ipsum sibi necessariò seruiendo instar mancipij semper haberet addictum. Conueniebat enim opinor, animali sapienti ac ciuili, corporis curam habere mediocrem, non tamen vitam omnem in cultu corporis non necessario consumere, quomodo nunc fortasse plures faciunt, ignorantes an corpore quippiam habeant præstantius.

XXXVIIII. Propter quid frontis cutis motu voluntario prædita est? an ob oculos? oportebat enim eos multùm posse aperiri, quum externa multa vno tempore intueri conarentur: ac rursus dum clauduntur, cogi ac constringi ad vnguem, ab omnibus circumiacentibus, quũ alicuius incursum contrà sese metuunt. Ad vtrasque igitur vtilitates natura cuti omni ipsis circumfusæ, tum ei, quæ suprà in fronte est, tum ei, quæ infrà etiam est ad mala, motum voluntarium adhibuit, vt alternis extensa tum rursus in seipsam replicata, aperire oculos ac claudere posset.

XXXX.

XL. Propter quid superciliorum pilos solos, tum eos, qui in palpebris insunt, æqualem semper seruare magnitudinem melius fuit, quanquam capitis ac malorum pili plurimùm augeri possint? an quum in his duplex vsus sit, alius quidem, qui ad partes operiendas pertinet, alius autem ad crassiora excrementa consumenda? quorum etiam prior admodum multiplex est, quum neque per omnes ætates operimento itidem egeamus, neque per anni tempora, aut regiones, aut corporis constitutiones: non enim capilli conueniunt itidem viro, puero, & seni, neque etiam mulieri, neque æstate aut hyeme, neque in loco calido aut frigido, quemadmodum neque ei qui ophthalmia aut capite alioqui laborauit, & sanissimos satius fuit nos temporis mutationi seruientes capillos, alias magnos, alias minores facere. Oculorum porrò pilis ac superciliorum, si quid addideris, aut abstuleris, illorum vtilitatem corrumpes: illi enim ne quod corporum exiguorum oculis patefactis incideret, velut vallum quoddam ipsis sunt præpositi: hos autem instar muri cuiusdam propulsare oportebat, ac primos omnia, quæ à capite defluerent, excipere. Si igitur eos quàm oporteat minores aut rariores effeceris, tantam vtilitatem vitiaueris: siquidem illi incidere in ipsos, hi verò influere permittent, quæprius defendebant. Si verò maiores eos, aut densiores effeceris, non amplius vallum aut murus oculis, sed carceri cuidam simile fuerit id operimentum: pupillas enim occultabunt atque obscurabunt, quas tamen omnium

instrumentorum minimè obscurari oportebat. Quæ omnia quum opifex prouideret, in palpebris & superciliis satius esse ratus exiguos quidem, & nullius incrementi, verùm stabiles pilos efficere, in cute dura ac chartilaginosa radices eorum, quasi in lapidosa quadam atque argillacea terra fixit:

X L I. Propter quid in superciliorum palpebrarum ac capitis pilis tantummodo æqualis est pronentus, ac certus quibusdam limitibus ordo distinctus, in reliquis verò nullus generationis ordo reperitur, sed inæqualitas potius ac confusio? an quoniam illi quidem artificio quodam ac prouidentia opificis ipsius effecti sunt, aliorum verò nullam opifex curam habuit, sed sponte potius, & loci ipsius humiditate & caliditate prouenerunt, qua de re etiam isti plurimi incrementi sunt? Duplex etenim pilis origo est, quemadmodum herbis ac plantis, alia quidem à conditoris prouidentia, alia verò à loci natura.

X L I I. Propter quid nasi alæ mobiles, extiterunt? an quoniam si immobiles factæ fuissent, nihil in inspirationibus ac eflationibus commodi contulissent, quibus certè mobiles non parum conferunt?

X L I I I. Propter quid maxilla inferior, quum medullam habeat, in neutro tamen ipsius fine capitis, illius processum instar operculi cuiusdam (epiphysim Græci vocant) obtinuit? omnino enim his ossibus, quæ medullam habent, huiusmodi caput adnasci videtur: an quoniam densior est,

quàm

quàm vt processu hoc indigeat? nam quum laxitas simul ac cauitas adsunt in ossibus, protinus videre est caput quoddam ad finem eis adnatum. Porrò, quòd operculo quodam indigent, quòdque densum id esse oportet ac solidum & maximè qua parte in dearticulationem desinit: quæ enim articulantur, ossa dura postulant, vt quæ assiduò erant mouenda, atque inter sese atterenda.

XLIV. Cur maxilla superior, medullæ omnino expers fuit? an quòd prorsus non moueretur? altera enim vtilitate detracta, ad solam patiendi difficultatem fuit comparata.

XLV. Cur palati os laxum ac cauernosum, vt alia capitis ossa, effectum non est, sed durum potius ac densum? an ob hoc, quòd ad basin totius capitis subiacet, quam duram esse oportet? An etiam quòd ab excrementis, quę à locis superioribus promanant, per ipsum lapsuris breui extabuisset ac computruisset, si laxum fuisset.

XLVI. Quinam sunt ossium omnium coarticulationis scopi? an vel motus gratia, aut perspiratus, aut transitus cuiusdam, aut partium discriminis, aut securitatis ac patiendi difficultatis ipsorum syntaxis, seu coarticulatio extitit?

XLVII. Cur ossa aliqua medulla caruerunt, quum proprium ossibus alimentum medulla sit? an quum hæc duriora effici oporteret, ad securitatem ac patiendi difficultatem, non autem ad motus leuitatem, cauaque ideo ea esse non oporteret? ideo medulla caruerunt, quòd scilicet sinum, quo eam

continerent, non habuerunt: sed tamen hæc, cauernulas quasdam, quibus tale quidpiam continent, quale medulla est, adepta sunt. Duplex enim potissimum videtur esse ossium omnium constructionis scopus, vnus scilicet ad securitatem durities, alter ad animalis motum leuitas. Effectum itaque iure videtur, vt ea, quæ motui destinata sunt ossa, leuiora fierent, ac propterea caua: reliqua verò, quæ potius securitati, duriora ac densiora, ac ideo cauitate carentia.

XLVIII. Cur maxillæ inferioris os diuisum est? curuè vnica tantum diuisione? an diuisionem habuit, propterea quòd corpus est geminum? nullam verò præter vnicam habuit diuisionem, quòd natura metuit, maxillam hanc in multa oßa diuidere, ne in vehementissimis motibus dißoluatur facilè, ac conteratur. Magni etenim ac fortes erant futuri maxillæ inferioris in mordendo, ac corpora dura comminuendo mótus: propterea itaque vnicam duntaxat habuit diuisionem, eamque non planè perspicuam, in extremo mento.

XLIX. Vtrum ligamenta ad motus generationem necessaria sint, vel non? an certum est, quòd ad motus generationem spectat, ligamentis opus non esse? in aperto tamen esse potest ea ad rectè mouendum maximè conferre, nisi etenim oßa (nam ipsa primùm à musculis moueri videntur) in suis articulationibus à ligamentis continerentur, nihil vetaret, quò minus ea in singulis motibus luxarentur, suaque sede dimouerentur, modò huc, mo-

dò

dò illùc à suo situ deflectentia: quod ne accideret, natura omnem ossium articulationem in orbem cõplectitur ligamentis quidem fortibus, sed quæ laxari possunt non minimum, atque extendi ad validam scilicet ligationem & stabilem, simul & ad motus obsequium.

L. *Quænam musculorum constitutio ac ortus existit? an neruis ac ligamentis in fibras tenues dissolutis permixtisque carni simplici? præterea ijsdem fibris coëuntibus inter se ac commixtis, tendone conflato, musculus ex his omnibus conficitur.*

LI. *Cur caput nostrum in partes omnes non ita circumagitur, vt non modò, quæ sunt ad latera, verùm etiam posteriora videre possit? an quòd fieri non poterat, vt sine laxa admodum articulatione motum adeò facilem natura efficeret, sed talis articulatio maximè luxationem parit, vt contraria securitatem? constructionis namque securitas cum motuum facilitate ac varietate pugnat, at capitis articulus luxationem non tolerat, quòd is principalis admodum sit, animalque ipsum protinus labefactet. Maluit igitur natura paucissimos capiti motus, eosque tutos, quàm varios, & eos non tutos, tribuere.*

LII. *Cur musculo omni motu aliquo prædito, alium motus contrarij autorem natura musculum semper opponit? an quòd claudicare motum, nisi id fecisset, erat necesse, aut funditus aboleri? propterea quòd cuiusque musculi vni-*

ca tantùm exiſtit actio, coitus in ſeſe ſcilicet, ac contractio.

L I I I. Qui nam ſcopi ſunt, in quos natura intuita, omnem ſpinæ conſtructionem molita eſt? an quatuor? porrò tot ſpinæ vtilitates numerare licet: primam quidem, velut ſedis cuiuſdam & fundamenti inſtrumentorum ad vitam neceſſariorum: ſecundam autem, velut viæ cuiuſdam ſpinali medullæ: tertiam, firmi præſidij: quartam, motus inſtrumenti, quem dorſo ac ſpina animalia obeunt: his quinta ex abundanti accedere poteſt, viſcerum ſcilicet extrinſecus ſpinæ incumbentium munimentum: verùm id quidem neceſſariò erat ſequuturum.

L I V. Cur, ſi multi ſpondyli ordine ſeſe conſequentes emoti fuerint, malum id eſt: ſin verò vnus quiuis ex cæterorum harmonia ac compage exilierit, exitioſum? an quòd, ſi multi ſimul emoti fuerint, ſinguli paulùm diſſiti, tunc circularis, non autem vehemens ſpinalis medullæ fit contorſio? quòd ſi quis ſpondylus exciderit, ſpinalis medulla ex loco exiguo deflectens dolebit, ſpondyluſque qui exilit, ipſam comprimet, niſi ſane etiam perruperit.

L V. Quamobrem nos antrorſum plurimum flecti poſſumus, retrorſum verò non item? an quòd ſpondyli ſpinam conſtituentes partibus anterioribus tutò admodum inter ſe ligamento colligati ſunt, ac ita exactè coniuncti, vt credas ipſos coaluiſſe, poſterioribus verò articulis diſtincti non medio-

cribus,

cribus, firmitatem quidem in posterioribus figuris, propter anteriorem compagem habentes? perrumperetur enim, si vim ad posteriora faceremus, ligamentum anterius. Spinam igitur, quum ne similiter in partes vtrasque flecti eßet melius (infirma enim sic, ac laxa penitus esset) oportuit naturam eligere id, quod erat vtilius, & ad omnes vitæ hominis actiones melius, spinam scilicet antrorsum flecti: quod etiam vasis parte anteriore spinæ incumbentibus, magnæ scilicet arteriæ ac venæ cauæ, longè minus erat molestum: rupta enim fuißent, si extensa plurimùm ac refracta, dum spinam totam retrorsum flecteremus, fuißent. Iure itaque, quum eam parte anteriore spondylis constrictam exactè esse oporteret, articulationes parte posteriore extiterunt.

LVI. Cur decimus metaphreni spondylus medius ponitur inter viginti quatuor spinæ spondylos, quum multò plures superiores sint, quàm inferiores? an quòd natura hic totam spinam in partes omnino æquales diuisit, mole spondylorum æstimata, non numero? licet enim superiores multò plures numero sint, verùm inferiores corporis mole, tanto illis sunt maiores, quantum numero ab ijsdem vincuntur: mirarique naturam conuenit vt æquissimam, vt quæ, non quod prima statim facie apparet æquabile, sed quod re vera est, eiusmodi elegerit.

LVII. Cur spondylus hic medius immobilis extitit? an vt dorsum æqualiter omnibus articula-

tionibus flecteretur ? hunc certè spondylum medium, immotum esse oportuit: reliquos verò omnes mutuò à sese digredi, & à medio: porrò hic vtrorumque est terminus, quem immobilem esse oportet.

LVIII. Cur natura omnes alios spondylos in planum, leuem atque vndique æqualem, omninoque solidum circulum, terminauit, eaque parte ipsos inter se connexuit, solorum autem colli spondylorum non eamdem fecit constructionem ac compositionem ? an quia, quum spondyli singuli primum constructionis scopum haberent, duplicem sedem scilicet tutam spinæ totius, (quòd ea esset veluti carina quædam ac fundamentum) ac motum, quum animalis eßent partes: aliorum quidem omnium, qui sunt sub collo spondylorum vsus, in securitate est maior, superiorum verò in motione. Ad plures enim actiones neceße est collum variè, celeriter ac multum nunc deprimere, nunc attollere, atque ad latera circumagere, quàm totam spinam mouere. Iure igitur hos ad securitatem aptiores, illos ad motum, sic natura ipsa construxit.

LIX. Cur ex multis principijs neruos diaphragmatis aceruari melius extitit ? ex quarta enim colli coniugatione portionem quandam araneis similem, ex quinta verò memorabilem, postremò ex sexta aliam hac quidem minorem, at maiorem prima ipsi natura tribuit ? an vt si quando vnum aliquod principium, aut duo paßa fuißent, reliquum diaphragmati subseruiret? *LX. Cur*

L X. Cur ex spinali medulla colli, nerui ad diaphragma feruntur? an quoniam hi robustiores sunt, & propterea ad actiones aptiores?

L X I. Cur in diaphragmatis parte media, neruos inseri præstitit? ob quam certè causam hi proni ac decliues à spinali medulla colli in ipsum feruntur? an quòd in musculorum capita ac principia nerui moturi inserantur necesse est, & non in fines? caput verò ac principium diaphragmatis, in media ipsius parte extitit, quare neruos moturos à loco edito, sic ad ipsum manare opus fuit, vt in omnem partem ex æquo actionem extenderent.

L X I I. Quinam in thoracis fabricatione naturæ scopi extiterunt? an quatuor? vox scilicet, respiratio, cordis & pulmonis magnitudo.

L X I I I. Quid causæ est, quòd medulla spinalis tertiam quandam tunicam validam ac neruosam, vltra illas duas, quas communes habet cum cerebro, sortita est, quum ipsi quàmplurimum similis sit ac conueniat? an spinalis medulla, quum habeat quædam cum cerebro ipso communia, quædam verò propria: in communibus quidem communem quoque habet constructionem, in proprijs verò propriam ac discrepantem? Sunt autem ei cum cerebro communia, quòd corporis substantia sit similis, & neruorum etiam sit principium: propria verò, vt quum cerebrum pulset ac moueatur, quanquam osse immobili contineatur, ipsa non moueatur, tametsi à spondylibus mobilibus continetur, non abs re etiam duæ meninges ipsis fuerunt datæ:

alte-

altera quidem ad vaſa, quæ ipſis inſunt, colligenda, totamque eorum ſubſtantiam, quæ mollis eſt admodum, conſtringendam: alia verò vt tegat, & aduerſus oſſa circunfuſa muniat: ipſaque etiam oſſa extrinſecus ſunt data, veluti propugnaculum ac murus, qui poſſit eorum, quæ incidere ac contundere, & quoquo alio modo violare queant, ſine moleſtia impetum excipere: priuatim verò vtrique quod cerebrum quidem pulſabat, craſſa meninx tantum ab eo diſceſſit, quoad ipſi dum dilatatur, ſuſcipiendo ſatis eſſet: quod verò ſpinalis medulla non pulſabat, craſſa meninx cum tenui ſeſe coniunxit, ab ea ne tantillum quidem ſeiuncta. Igitur, quod capitis oſſibus nullus motus conſpicuus ineſt, ſpinalis autem medullæ oſſibus vehemens, cerebro quidem nullum extra craſſam meningem aliud operimentum fuit circundatum, medullæ autem ſpinali tertia illa tunica neruoſa ac fortis eſt circundata: nam, dum ſpinam aliquando flectimus, eodem quo ipſa modo ſpinalis medulla flexa ac tenſa facile vtique frangeretur, ſi nullum eiuſmodi tegumentum ei eſſet circumpoſitum. Manifeſta igitur eſt cum his tunicæ illius tertiæ conſtructionis ratio.

LXIV. Quid cauſæ eſt, quòd articulis omnibus, ac omnibus (vt ſummatim dicam) his, quæ moueri aſſiduè oportebat, viſcoſus quidam humor circunfuſus eſt? an ne iſta exſiccata dolerent, ac tandem actiones ipſorum labefactarentur, quod homi-

nes imitati curruum axes atque aratrorum, vngunt prius succo aliquo humido ac viscoso, quo nihil ipsi patiantur, & celerius moueantur.

LXV. Cur hominibus pectora lata, brutis verò acuta atque angusta extiterunt? an quum homines manibus variè essent vsuri, motum desiderabant, & ob eam causam positum admodum amplum ac spatiosum; brutis verò non item? Neque enim manus habent, sed artus anteriores non aliter, quàm posteriores soli ambulátioni subseruiunt.

LXVI. Cur brachij caput rotundum extitit? an quum manus tota ad multos ac varios motus esset comparata, caput quidem brachij rotundum habere ipsam oportuit? hac enim figura nullam ad motus celeritatem inuenerimus aptiorem.

LXVII. Quotnam, quiue sunt primi naturæ in partibus animalis construendis scopi? an tres? nam ex ipsis quasdam fecit ad viuendum necessarias, cuius generis sunt cerebrum, cor, & hepar: quasdam ad viuendum commodius, vt oculos, nares, aures: quasdam ad generis instaurationem, vt pudenda, testes, ac matrices.

LXVIII. Vtrum generandi voluptas à genitalibus instrumentis & à corpore animali insita sit? an potius ab anima ipsa, an ab vtroque? Natura enim quæ animalibus omnibus concipiendi instrumenta tribuit ipsis instrumentis, etiam eximiam quandam vim voluptatis effectricem largita est: animæ item ipsis vsuræ, incredibilem etiam quam-

quandam atque ineffabilem vtendi cupiditatem coniunxit, à qua animalia incitata ac stimulata, etiam si mentis ac rationis expertia, ætateque tenera sint, prouident tamen, non secus ac si essent prudentissima, vt genus suum sit superstes.

LXIX. Quænam prima est ac propria gignendi animalis materia? quidue motus principium est in generatione? an seminis humor, ac spiritus? hic quidem, vt motus principium, ille autem vt materia ad fœtuum generationem apposita existit: neque enim sanguis menstruus prima est materia, atque gignendi animalis propria.

LXX. Quid causæ est, quòd mulieres in menstruis, purgationibus, ac partubus, maximè refrigerantur? an quòd tunc matricum stomachus fit rectus atque apertus, qui si similiter semper haberet, similiter etiam semper refrigeraretur?

LXXI. Quid causæ, quòd matricis sinus simplex non est, sed mulieribus geminus, dexter scilicet ac sinister: alijs verò quàmplurimus? an natura prouidens, ne quod animalis genus periret, aut propter corporis imbecillitatem, aut vitam omnino breuissimam, aut quòd præda fortioribus erant futura, his omnibus assidui interitus remedium excogitauit, fœcundam scilicet generationem?

LXXII. Cur sinuum horum numerum natura mammillis fecit equalem? an vt omnia recens nata animalia, tenera adhuc atque imbecilla, eduliaque solida nondum valentia conficere, perinde

ac si

ac si verò adhuc gestarentur, olimentum ex matre sibi aßumere poßent?

LXXIII. Cur mammę tantum habent cum matricibus consensum? an quòd natura partes vtrasque ad vnum opus obeundum comparauit, ob idque ipsas per vasa coniunxit?

LXXIV. Cur cum vsu partium genitalium voluptas maxima coniuncta est, insanaque cupiditas in omnibus florentibus animalibus vsum præcedit? an hoc insitæ in ipsis cuiusdam serosæ humiditatis opus existit, vt quæ acrimoniam quandam ac mordacitatem habeat? quod quidem humoris genus, omnium maximè potest partes ipsas ad agendum excitare, voluptatemque dum ipsæ agunt præbere: aceruati enim in parte animalis, incalescentesque titillant humores isti, ac pruritum excitant, & suo motu voluptatem adferunt. An & quoniam non modò eiusmodi humores vacuari postulant, eoque nos excitant ac pungunt ad sese excernendum? verum etiam quum spiritus multus, ac calidus expirare gliscit, incredibilem quendam existimare oportet voluptatis eße exceßum: præterea quum partibus his natura sensum, quàm cuti longè exactiorem, propter eandem vtilitatem tribuerit, mirum videri non debet: neque cur ipsis illinc voluptas maior accedit, neque cur cupiditas ingens ipsam præcedat.

LXXV. Cur sanguis in vasis quibusdam albescit, similisque fit vasorum tunicis albis, in omnibus vero non item? an in quibus tantum diutius mora-

moratur, in illis albeſcit, vaſisque ſimilis fit? pars enim omnis alimentum ſibi ſimile facit, vt in vaſis ſeminis, quæ ob multiplices flexus ſanguinem diu continent: in nullo autem alio vaſe hoc accidit, quòd in nullo alio ita diu moratur: quanquam & vaſis cuiuſque humidum natiuum, à quo ipſorum tunicæ nutriuntur, eſt eiuſmodi.

LXXVI. *Cur matricis cornua (κεράιας vocant Græci) effecta ſunt? an iſta ad ſemen à proprijs teſticulis trahendum natura fuerunt comparata, vt ad virile ſemen trahendum matricis collum, quod ad muliebre pudendum pertingit, effectum eſt;*

LXXVII. *Cur inteſtina omnia ventriculuſque ex duabus tunicis conſtiterunt, matricibus verò vna ſatis fuit, quemadmodum & vtrique veſicæ? an veſicarum corpora natura dura & vix patibilia comparauit, vt quæ tantum excrementa eſſent receptura? Inteſtinis verò ac ventriculo, vt quæ coctionis potius eſſent inſtrumenta, quàm ſuperuacuorum receptacula, carnoſior ſubſtantia erat accommodatior: non enim quo bilem reciperent, aut pituitam, aut alia denique ſeroſa excrementa; quæ plerunq; a toto corpore confluunt, natura hæc comparauit: ſed eis, quum aliarum actionũ gratia extitiſſent, abuſa etiam eſt, vt excrementorum meatibus. Proinde meritò forma ſubſtantiæ corporis ipſorum, ſuis actionibus fuit accommodata: porrò tunicarum numerus, propter vſum acquiſititium eis acceſſit: periculum enim erat, ne*

altera tunicarum, interior scilicet, nunnunquam afficeretur ac corroderetur: vt igitur in ea sola malum sistatur, alteram extrinsecus ei circumiecit: in matricibus verò, vt quæ sanguine puro ac benigno alantur, vnica tunica satis esse potest.

L X X V I I I. *Cur matricibus ipsis omne fibrarum genus natura molita est? an quoniam non solùm intrò eas semen attrahere in coitibus oportebat, sed etiam retinere, quo tempore vtero geritur, & excernere, quum fœtus fuerit perfectus? singula enim instrumenta, dum agunt, fibris rectis ad sese attrahunt, transuersis excernunt, retinent autem omnibus simul.*

L X X I X. *Cur matrices in medio vesicę ac recti intestini positæ sunt? an quòd melius fuit, quum ipsæ dum conceperunt quàmplurimum extendantur? ex posterioribus quidem partibus, velut substerniculum quoddam ad spinam, rectum intestinum: ex anterioribus autem, velut propugnaculum, vesicam habere: tenuissimæ enim omnino matrices sunt, quo tempore gerunt, nempe quòd profunditas in longitudinem sit absumpta, eoque imbecillimæ, quinetiam propter tumorem ad loca omnia circunfusa progrediuntur: haudquaquam igitur sine dolore ac pernicie cum vicinis ossibus versatæ fuissent, si nulla particula media intercessisset.*

L X X X. *Quænam pudendi materia, origoue existit? quum neque neruus esse videatur, neque arteria, neque vena, neque caro, neque glandula,*

neque

neque os, neque chartilago, neque aliud quidpiam id genus, nihilque in alia vlla corporis parte huic simile reperiatur? an corpus neruosum, quod à pubis nuncupatis ossibus enascitur, cauum simul & omni humore vacuum, pudendum est?

LXXXI. Cur pudendi positio in medio est, non autem vel in dextra, vel in sinistra corporis parte? an quòd quando vna pars aliqua est sine coniuge, positionem mediam requirit? quòd si coniugium duarum partium fuerit, vtraque pars à medio abesse vult æqualiter.

LXXXII. Quam ob causam epiphysim illam cutis in finibus muliebris pudendi, quam nymphā appellant, natura fabricata est? an tum ornamenti gratia, tum ne matrices refrigerarentur, vt operimentum apposita est?

LXXXIII. Quam ob causam fœtui ipsi humor quidam sudori similis, qui intra membranam ἄμνιον dictam aceruatur, in orbem circunfunditur? lotium enim à fœtu seorsum abductum est, ac seiunctum, neque cutim, neque venas quæ secundis insunt attingens, ne scilicet ab eius acrimonia partes vicinæ læderentur? an illius humoris hęc non contemnenda vtilitas est, quòd scilicet fœtus in eo quasi innatans, sursum tollitur ac vehitur, vt minus sit grauis his vinculis, per quæ matrici cohærescit, commodiusque vtero geratur? an etiam alia huic vtilitas accedit, quòd scilicet quo tempore animal parit, fœtus facilius collo matricis elabitur, quum ipse humore multo profunditur: quod ei

tunc

tunc accidit, propterea quòd necesse est tum membranas rumpi? non modò enim humor iste fœtibus lubricandis confert, sed collum etiam matricum ad maximam dilatationem reddit facile: à prædictis enim humoribus humectatum mollius redditur, dilataturque facilius. Comprobant autem, quod dicimus non minimùm ipsæ obstetrices: quum enim repentè ac simul humor effluere occuparit, ipsæ naturam imitari coactæ, humores quosdam habent, quibus collum matricum perfundant.

LXXXIV, Quam ob causam fœtus, quanquam collum vesicæ meatum iam habeat, per quem animal post partum lotium reddit, non tamen eo quidquam vtitur, sed totum lotium per vmbilicum transmittit? an quum lotij excretio motu fiat voluntario, & fœtus nondum actionibus eiusmodi vtatur, iure optimo effici videtur, vt excretio hæc per vmbilicum fiat? nō enim musculus in eo est præfectus, qui seruiat actioni animalis voluntariæ, quemadmodum in collo vesicæ. An melius dicendum est, quum fiat excretio hæc, vesica ipsa motu naturali circum humores, quos in seipsa continet, vndique contracta? qua in re quandoque etiam musculi epigastrij, opis nonnihil conferunt, quum scilicet repentè, ac copiosius simul excernere voluerimus, lotium effluere, occupare per meatum, qui est ad vmbilicum, propter ipsius meatus rectitudinem ac magnitudinem: nam latitudo membranæ illius ὀυραχῦ nuncupatæ, multis partibus est maior ea, quæ vesicæ collo inest: quod

etiam obliquum admodum est, vt rectus ad perpendiculum ὀρθός *est, vmbilico sanè toto sursum sublato, & veluti à matrice per vasa, quæ secundis insunt, pendente. Præterea nullus musculus extrinsecus* οὐραχῷ *est circumiectus, qui videret ne excrementa imtempestiuè effluerent, cuiusmodi in natis est musculus ad collum vesicæ: nullum enim tempus fœtui est intempestiuum ad eius generis excrementum excernendum, quemadmodum iam perfectis: in his enim musculus iure est præfectus, qui nihil foras dimittat, prius quàm animus iusserit: in fœtibus verò frustra esset ac superuacaneus, quòd natura nunquam operatur.*

LXXXV. Quam ob causam natura in fœtu ipso, maiori mensura, quàm pro aliarum partium portione, hepar inprimis illis temporibus excedens effecit? excedit autem non mediocriter & vsque ad partum: secundum ipsum cerebrum & cor excellunt magis, quàm pro aliarum particularum portione: an causa huius rei est, quòd hepar, venarum est principium, cor arteriarum, cerebrum neruorum? Consentaneum igitur est, quemadmodum, quum architecti primum domus fundamentum & nauis carinam compegerunt, postea tutò sua ædificia super hæc extruunt: ad eundem modum naturam in animalibus à proprio principio tuto ac validè iam compacto, singula vasorum genera producta in totum corpus protendere: verùm, quum fœtus magis eo vsu indigeret, quem præstant venæ (vt qui diutissimè plantarum more regatur) prin-

cipium,

cipium harum mox à prima generatione fecit robustissimum: cerebro enim & cordi & instrumentis, quæ ab eis emergunt, vtilitas quæ à venis proficiscitur erat necessaria, quòd ea sine sanguine neque generari neque augeri possent: hepati verò ac venis arteriarum quidem vsus erat exiguus, neruorum autem nullus, antequam essent consummata: ob eam igitur causam natura venosum genus statim ab initio robustum effecit ac magnum, post autem alia duo cœpit augere

LXXXVI. Quamobem pulmo, in his qui adhuc vtero geruntur, est ruber, non autem vt in perfectis subalbus? an quia tunc nutritur, quemadmodum reliqua viscera, per vasa vnicam tunicam & eam tenuem habentia? ad ea enim ex vena caua sanguis peruenit, quo tempore fœtus vtero gestatur: in natis verò occæcatur quidem vasorum perforatio, aër autem copiosissimus tunc incidit, sanguis verò paucissimus, idemque tenuissimus: quin etiam pulmo tunc motu perpetuo agitatur, animali nimirum respirante: quò fit vt sanguis à spiritu incisus motu duplici, altero quem ex arterijs habet, altero quem ex toto pulmone acquirit, tenuior adhuc seipso & mollior, ac veluti spumosus efficiatur: ob eamque causam substantia carnis pulmonis ex rubra, graui ac densa, in albam, leuem ac raram transfertur: quam rem certum est pulmoni esse vtilissimam, dum in motibus respirationis thoracem sequitur: ægrè enim præ pondere moueretur, si similem alijs visceribus carnem habuisset,

buisset. Æquum igitur est hic quoque naturam admirari, quæ quum viscus augeri duntaxat oporteret, sanguinem purum ei suppeditabat: quum verò ad motum fuit translatum, carnem leuem instar alæ cuiusdam fecit, vt facilè à thorace dilataretur, ac comprimeretur.

LXXXVII. Quonam tempore fœtus ita perfectus est, vt exire valeat? an quum iam perfectus ita existit, vt per os nutriri possit, tunc enim partus fit?

LXXXIII. Quonam tempore infans à mammis & à lactatione abstrahi potest? an fortè tunc, quum ipsi dentes oriuntur. Dentes etenim in infante producuntur, ne is semper matri esset molestus, quibus cum mandendi actio accedit.

LXXXIX. Quænam corporis partes neruis caruere, ac propterea sensu ac motu expertes extiterunt? an nullus neque in ossa ipsa neruus, neque in chartilagines, neque in ligamenta, nec denique in alteram glandularum speciem inseritur? Glandulæ enim, quæ sunt veluti stabilimentum diuisionis vasorum, nullis sanè ad id neruis indigent, quòd neque sensum, neque motum voluntarium ad id postulent: quæ verò glandulæ ad succos animanti vtiles generandos fuerunt comparatæ, quemadmodum venas & arterias perspicuas, nonnunquam ac magnas, ita & neruos habuerunt: amplius nec adeps quoquè vlla in re neruos desiderat, quæ instar olei pinguis partibus animātis membranosis ac neruosis est affusa: nulli itaque harum partium,

tium, vt quæ nullo aut ſenſu aut motu indigerent, neruus exhibitus eſt.

X C. Sed quænam adipis ipſius origo eſt, atque vtilitas? an generatur ex ſanguinis parte pinguiore per tenues venas effuſa? adfuſa autem eſt ſiccis corporibus atque tenuibus, vt ipſa perpetuo pinguedine natiua humectet, quæ celeriter in diuturnis inedijs ac vehementibus exercitationibus & caloribus immodicis exſiccatur atque indureſcit.

X C I. Quisnam chartilaginum vſus eſt? an vt oſſium partes quaſdam, quò leues ſint ac politæ, ſubungantur, vt in articulis, effectæ ſunt? vtitur autem & ipſis natura nonnunquam ceu corporibus mediocriter cedentibus.

X C I I. Quænam in corpore partes ſunt neruo præditæ, ac proinde tantùm ſentientes? quanquam etenim nerui omnes vtraſque habeant facultates, ſenſum dico ac motum, nulla tamen pars alia, præter muſculos, qui motus voluntarij inſtrumenta ſunt, neruos recipiens, motu voluntario eſt prædita: ſed ſentit duntaxat, an cutis, membranæ, tunicæ, arteria, vena, inteſtina, matrix, veſica, ventriculus, ac viſcera omnia, & glandularum ſpecies altera. Quòd verò & ſenſuum inſtrumenta neruos ad ſenſum flagitabant, quid opus eſt commemorare?

X C I I I. Cur oſſibus omnibus, ſolis dentibus neruos molles natura inſeruit? ob idque ſoli euidentem ſentiendi vim habent, an quòd hi, ijs quæ ſibi

occurrunt, nudi sunt expositi? an etiam quòd ipsos vnà cum lingua sentire oportebat, ac sapores discernere, non aliter quàm cæteras oris particulas? Notum etiam est, naturam exactiorem sensum partibus illis tribuisse, quæ assiduè erant ijs occursuræ, quæ incidunt, aut frangunt, aut rodunt, aut calfaciunt vehementer, aut refrigerant, aut alio quouis modo alterant, vt animal à dolore ferendæ sibijpsis opis admonitum, quod sese angit, prius amoliatur, quàm pars sit labefactata.

CXIV. Quonam pacto ad cutem ipsam nerui perueniunt? an ad cutem totam fibræ quædam à singularium partium neruis productæ prorumpunt? non enim quemadmodũ in singulos musculos neruus peruenit, ita & ipsius cutis est proprius aut definitus: sed ex partibus subiectis fibræ quædam ad ipsam perueniunt, quæ simul ipsam cum subiectis partibus connectunt, simul etiam sensum ei suppeditant.

XCV. Quibusnam corporis partibus spinalis medulla neruos suppetit? Quibus cerebrum? an faciei à cerebro? omnibus verò, quę sunt sub facie partibus nerui, à spinali medulla suggeruntur, præterquàm intestinis visceribus, atque etiam vocis instrumentis, quòd horum nonnulla omnino cum cerebro coniuncta esse oporteret: alia verò, quòd prope ipsum essent sita, soloque sensu indigerent, neruos eosdem habuerunt: ad cor enim & hepar neruos accedere erat necesse, quòd omnia facultatum animal regentium principia, omnino opor-

tebat

tebat esse coniuncta: in ventriculum etiam, et potissimùm in eius os, neruos accedere oportuit, quòd id sensu exactiore indigebat. Porrò quòd vox principalissima sit omnium animæ actionum, (nam cogitationum mentis est nuncia) oportuit eam quoque fieri, per instrumenta, quæ neruos à cerebro assumerent: ob ea igitur potissimùm, nerui à cerebro longè à suo principio protenduntur, quum eis autem exiguæ quædam propagines intestinis, renibus, spleni, pulmoni ac stomacho distribuuntur.

XCVI. *Vtrum quemadmodum ex cerebro nerui ad inferiores capitis partes producuntur, ita & ex inferioribus partibus ex spinali scilicet medulla, a capite sursum nerui aliqui producantur? an certum est, quòd ex spinali medulla colli, à secunda coniugatione sursum ad caput nerui feruntur? ad aures etenim & musculos temporales hinc nerui ferri videntur.*

XCVII. *Cur natura, quum ad omnes partes breuissimo interuallo arterias & venas adducere solita sit, ad solos omnium testiculos & mammas, non à propinquis vasis, sed à longinquis duxit? an quum lac & semen ex sanguine exactè cocto generentur? coctionis autem perfectionem tempus moræ ac consuetudinis cum vase ferente ipsis tribuit, & mora ex necessitate accidat in longioribus (longiora verò semper sunt, quæ à longinquo veniunt) conuenienter testiculis ac mammis natura, non à propinquis vasis, sed longissimo in-*

teruallo sanguinem ac spiritum adducit: sed & quum semini ipsi, quod confici exactius oportebat, sola interualli longitudo non sufficeret, quomodo lacti, ob eam causam, non longinquo modò venas & arterias ad testiculos, vt ad mammas deducit: sed præterea, multipliciter eas priusquam inserat, inuoluit: diuturnam, opinor, ex eo cum vase ferente consuetudinem ipsi materiæ comparans?

XCVIII. Cur venæ arterijs superiores sunt? an quò arteriæ maioris sunt momenti, quàm venæ, periculaque maiora ex hæmorrhagia, si sectæ fuerint, adferunt, eò magis intus in profundo abditæ feruntur, venisque subijciuntur, tutiorem scilicet locum sortitæ? Semper enim natura in profundo, id quod præcipuum est, in superficie verò, id quod non est præcipuum, collocat.


XCIX. Cur arteriæ venis & venæ arterijs, & vtraque hæc neruis, & his ambobus nerui in toto animalis corpore commiscentur? an huius connexionis vsum esse necessarium est perspicuum, si nutriri, & sentire, & caloris natiui symmetriam partibus omnibus animalis conseruare ex vsu est futurum?

C. Cur, quum arteriæ ac venæ in quamcumque corporis inserantur partem, tenues quasdam propagines corporibus circumfusis semper mittant, hinc venæ quidem numero interdum quàm plurimas & mole corporis insignes, arteriæ autem numero quidem illis pauciores, vt plurimùm autem magni-

magnitudinē quoquè inferiores mittuntur? an causa huius rei est, quòd partes omnes alimento indigent, calidæ, frigidæ, duræ & molles, vt autem caloris natiui modus ad vnguem conseruetur, non amplius similiter omnes postulant: nam partes omnes, quæ naturali temperamento sunt frigidæ, etiam si ad vltimum aliquando venerit frigiditatis, sustinent tamen & viuunt, & rursus sine dolore calori pristino restituuntur, hinc etiam patere potest.

C I. Cur venæ quædam inueniantur sine arterijs, arteria autem nulla sine sua coniuge vena? sed vbi vas arteriosum videris, ibi necesse est venam etiam esse: paucis tamen venis in corpora, quæ ad cutim pertinent, sine arterijs, diuisis.

Finis Libri Secundi.



ALOYSII TRISSINI

Problematum Medicinalium, ex Galeni ſententia.

LIBER TERTIVS.

I. QVAMOBREM *adeps nunquam circa venas arterias, iecur & cor poteſt coire? an ratione caliditatis particularum hoc prouenit? nunquam enim circa præcalidam vllam particulam coit adeps, quoniam per id cogitur tantùm, quod valde eſt frigidum, & idcirco calfacta circa partes calidores liquatur, cæterorum coagulatorum ritu: cogitur autem circa membranas, vtpote circa partes frigidas ac exangues.*

II. Sed cur cerebrum ita calore non liquatur? an quoniam non ita vt adeps humidum oleoſumque exiſtit?

III. Vtrum temperamentum optimum (quod statum, eucraton vocant) in idem recidat cum calido humidoque, vt ratio illorum asserit, qui inquiunt,, quòd quum mors ipsa talis naturæ sit, vt animantium corpora frigida siccaque reddat, & morti contraria sit vita, certè hæc calida & humida erit: at si vita ipsa calidum quiddam atque humidum est, omnino quod illi simillimum temparamentum est, id optimum necessariò erit: sic igitur in idem coincidet calidus humidusque status cum temperato. An potius contrarium asserendum est? nam temperamentum hoc, omnium potius temperamentorum pessimum esse videtur, quippe quòd putredinis maxima omnium causa existat; quod in anni temporibus patere potest, quæ quum caliditate humiditateque excedant, omnium maximè temporum morbis obnoxia esse solent, amplius si calidum humidumque excessus cuiusdam nomina sunt: qui fieri potest, vt in mediocritate hæc constitui debeant?

IV. Cur pueri admodum parui, quum nullus ipsis in toto reliquo corpore pilus adnatus sit, in capite ipso, in cilijs, ac supercilijs pilos innatos habent? an ob eam rationem hoc factum est, vt scilicet in his partibus tantùm pueri pilos habeant, quoniam hæ partes tantùm hoc propugnaculo indigebant: cilia quidem, quasi vallum quoddam corporibus exiguis suis pilis propulsandis, ne facilè apertis oculis inciderent, prouida constituit natura: item aduersus maiorum adhuc molium incursus, ipsis sua su-



ALOYSII TRISSINI

Problematum Medicinalium, ex Galeni ſententia.

LIBER TERTIVS.

I. *VAMOBREM adeps nunquam circa venas arterias, iecur & cor poteſt coire? an ratione caliditatis particularum hoc prouenit? nunquam enim circa præcalidam vllam particulam coit adeps, quoniam per id cogitur tantùm, quod valde eſt frigidum, & idcirco calfacta circa partes calidores liquatur, cæterorum coagulatorum ritu: cogitur autem circa membranas, vtpote circa partes frigidas ac exangues.*

II. Sed cur cerebrum ita calore non liquatur? an quoniam non ita vt adeps humidum oleoſumque exiſtit?

III. Vtrum

III. Vtrum temperamentum optimum (quod statum, eucraton vocant) in idem recidat cum calido humidoque, vt ratio illorum asserit, qui inquiunt, quòd quum mors ipsa talis naturæ sit, vt animantium corpora frigida siccaque reddat, & morti contraria sit vita, certè hæc calida & humida erit: at si vita ipsa calidum quiddam atque humidum est, omnino quod illi simillimum temparamentum est, id optimum necessariò erit: sic igitur in idem coincidet calidus humidusque status cum temperato. An potius contrarium asserendum est? nam temperamentum hoc, omnium potius temperamentorum pessimum esse videtur, quippe quòd putredinis maxima omnium causa existat: quod in anni temporibus patere potest, quæ quum caliditate humiditateque excedant, omnium maximè temporum morbis obnoxia esse solent, amplius si calidum humidumque excessus cuiusdam nomina sunt: qui fieri potest, vt in mediocritate hæc constitui debeant?

IV. Cur pueri admodum parui, quum nullus ipsis in toto reliquo corpore pilus adnatus sit, in capite ipso, in ciliјs, ac superciliјs pilos innatos habent? an ob eam rationem hoc factum est, vt scilicet in his partibus tantùm pueri pilos habeant, quoniam hæ partes tantùm hoc propugnaculo indigebant: cilia quidem, quasi vallum quoddam corporibus exiguis suis pilis propulsandis, ne facilè apertis oculis inciderent, prouida constituit natura: item aduersus maiorum adhuc molium incursus, ipsis sua supercilia

percilia constituit. Pilis igitur istis generatio est non qualis reliquis, nec qualis herbis, sed qualis stirpibus, prima scilicet ratione à natura conditis, non temperamentum ex necessitate sequentibus, vt reliquis à fuliginosis excrementis per cutis meatus exeuntibus, quo pacto pueris in toto reliquo corpore oriri nequeunt, vtpote quibus nec meatus adhuc vllus in cute existit, nec fuliginosorum excrementorum quidpiam.

V. Quamobrem interna manuum & inferna pedum semper glabra & pilorum expertia sunt? an quoniam siccissimus densissimusque est tendo is, qui sub cute harum partium habetur?

VI. Cur hi, quibus in iuuentute capilli albi, subruffique sunt, in senectute non caluescunt? an quoniam hi magis frigidi ac humidi sunt? pituitosæ enim cerebri naturæ indicia sunt huiusmodi capilli, quàm ad caluitiem generandam par sit, quæ à siccitate potius & caliditate ortum habet?

VII. Cur vinum, quum nutrimentum calidum sit, vitia frigida in corpore progignere sæpenumero solet, vt apoplexias, conuulsiones, comitiales morbos & tetanos, & similia, quæ frigida vitia sunt? an quum immodicè assumptum fuerit ista gignere natum est, ea ratione quòd concoqui in corpore nequit, ob copiam? eò etenim pacto, quo oleum in copia, confertimque in lucerna infusum flammam potius extinguit, quam augeat, sic & vinum, vbi plus bibitur, quàm vt vinci possit: tantum abest, vt animal calfaciat, vt etiam frigidiores affectus gignat.

VIII.

VIII. Cur aliqua foris imposita exulcerant, eroduntque; intus autem adsumpta minimè? an propterea quòd tum in ventre concocta, tum in venis in sanguinem versa mutantur alteranturque? an quòd vno in loco non permanent, sed in multas partes diuisa quoquo versus feruntur? an etiam quoniam non solùm multis succis miscentur, sed etiam cibis, cum quibus sumuntur? an etiam quòd ipsorum coctio, & partium separatio, celeriter perficitur, ita vt, quòd conueniens in eis est, assimiletur quod superuacuum est, & acre excernatur? propter hæc, inquam, omnia, quod foris impositum exulcerat, id comestum non exulcerat.

IX. Quid causa est, quòd cibi natura frigidi, vt lactuca & portulaca corpora, quæ nutriunt, & refrigerare & calefacere simul dicuntur? quum à contrario, & ab eodem, simul contraria prouenire absurdum omnino videatur? an mirum non est huiusmodi cibos frigidiores, dum in corporibus concoquuntur, ipsa refrigerare: concoctis autem & in bonum sanguinem ipsis iam conuersis, caloris substantiam augeri, accessione scilicet calidi humoris? nam aliquando in nobis qualitatem caloris intendi contingit, interdum verò substantiam eius augeri, non intensa qualitate (vtroquè enim modo veteres calidius factum esse animal dicunt) calidius scilicet, vel quòd plus calidorum succorum sit sortitum, vel calidiores eos habeat, quàm antè: quò pacto etiam de frigiditate dicendum est, vel quòd plures succreuerint frigidi succi, vel quòd

eorum

eorum qualitas aucta ſit. Ea igitur ratione, quòd in bonum ſuccum cibaria hæc conuerſa ſanguinem augent, corpora calefacere dicuntur, caloris ſcilicet innati ſubſtantiam augendo, eius tamen qualitatem non intendendo: corpora autem, dum concoquuntur, refrigerant, innatæ frigiditatis ratione: hocque ciborum genus huiuſce naturæ exiſtit, vt & veluti medicamentum corpus noſtrum adficiat alteretque, & vt alimentum nutriat.

X. Quænam medicamentorum natura exiſtit? an multiplex? Alia enim medicamenta, cuiuſmodi aſſumpta ſunt, eiuſmodi etiam permanentia vincunt, corpuſque mutant ad eum modum, quo id cibos: atque hæc prorſus tum venenoſa, tum naturæ animalis corruptricia pharmaca ſunt. Alia ab animalis corpore mutationis initium conſecuta, deinceps iam putreſcunt ac corrumpuntur, deinde corpus quoque vnà corrumpunt ac putrefaciunt: ſunt autem hęc quoque noxia venena. Eſt his etiam amplius tertia medicamentorum ſpecies, eorum nimirum, quæ corpus recalfaciunt quidem, mali tamen nihil adferunt. Eſt & quarta eorum ſpecies, quæ & agunt & patiuntur aliquid, ſed tandem vincuntur, planeque adſimilantur: accidit porrò his, vt tam medicamenta ſint, quàm nutrimenta.

XI. Quænam verior ſententia eſt circa vrinæ generationem, ac ſecretionem? an ea, quæ vult epotos humores, poſtquam in vapores fuerint reſoluti, ad veſicam tranſmitti, deinde rurſus eiſdem vaporibus

ribus in vnum coactis hoc modo ipsos pristinam formam recipere, ac rursus fieri sedulò ex vaporibus in vesica vrinam? an illa, quæ dicit partes supra renes existentes purum sanguinem suscipere, aquosam autem superfluitatem grauitatem habere, ac suo pondere ad inferiora delabi? An potior omnibus tertia est opinio, quæ asserit, vrinam ipsam esse nutritionis renum superfluitatem? an potius omnes istæ refellendæ abijciendæque sunt sententiæ? Nam vesica talis naturæ non est, vt vel spongia aut lana est, per quam dici possit, vapores transmitti. quæ duabus validissimis ac durissimis tunicis prædita est: nec vaporum natura talis est, vt ad inferiora ferantur: nec item secundo loco dicendum est, aquosam hanc superfluitatem grauitate sua ad inferiora duci. Quomodo enim rationabiliter diceretur hæc conferre ad sanguinis distributionem, si quidem adeo grauis esset? Nec item rationabile existit, renes ipsos exigua corpora tantùm superfluitatis habere: nam quantum in singulis visceribus, quæ maiora sunt renibus, superfluitatis contineri oporteret, in quibus parum quidpiam adinueniri certum est. His igitur relictis dicendum est, vrinam fieri à sanguinis serositate, quæ à renibus attrahitur, vt qui instrumēta vrinæ discretiua à natura cōstituta sunt, quibusue talis virtus ac potētia insita est, quæ talem ad se trahat qualitatem, qualis in vrinis existit: deinde ab his per vreteras ad vesicam per manifestissimos meatus deferri, & tandem à vesica ipsa per virgam expelli.

XII.

XII. Cur pituitæ expurgandæ nullum natura instrumentum delegauit? an quoniam frigida est & humida, ac veluti incoctum alimentum, quod non oportet euacuari, sed in corpore permanens alterari?

XIII. Quid causę est, quòd facilius est cibos deglutire, quàm vomere? an quoniam deglutio fit ambabus ventriculi tunicis operantibus, interiore quidem attrahente, exteriore verò se comprimente & compellente? habet enim ventriculus duas tunicas: interiorem scilicet, recta fila habentem, propter attractionem: exteriorem verò trasuersa, vt secundum circulum circumplectatur & expellat, Vomitus autem altera tantùm, extrinseca scilicet, operante perficitur, nullo ad os attrahente. An etiam illud accedit, quòd ventriculi appetitus, ciborum aßumptionem antecedit? nullæ verò sunt in vomitibus oris partes, quæ passionem aduenientem concupiscant: verùm ambæ ipsius ventriculi dispositiones sunt contrariæ, appetentis scilicet, & recipientis vtilia, & sibi conuenientia, abominantis autem atque expellentis aliena: idcirco igitur difficilius vomitur, quàm deglutiatur.

XIV. Quid causæ est, quòd nunnullis quandoque ventriculus ipse sursum ad os repere videtur? an ob famem, vel gulositatem hoc ipsis contingit? nam sicut de quibusdam piscibus, qui hiatulæ & dentices vocantur (chanas Græci, & synoduntas appellant) veteres referunt, quibus ventriculus [illegible]e ex gulositate reperitur in ore, quandoque ita

res si habet etiam in cunctis animalibus in vehementissimis appetentijs, quòd scilicet ipsis ventriculus ad superiora procurrit: unde nonnulli hunc effectum manifestè sentientes, sibi extrà repere ventriculum aiunt: quibusdam autem adhuc commanducantibus, quum nondum sufficienter in ora cibi sunt elaborati, inuitis ipsis manifestè diripiuntur, ventriculo scilicet, vel stomacho ad os cibi cupiditate properante, & velut manu quadam cibos attrahente. An etiam ob oris laxitatem, & ventriculi paruitatem, & situm vicinum, vt in dictis piscibus, mirum non est quandoque huiusmodi effectus nonnullis contingere?

XV. Quid est, quòd multa animalia, quæ longum collum habent, non deglutiunt, nisi collo incuruato? an quòd per solam desuper proiectionem deglutio sufficienter non fit, vt nonnulli opinati sunt; sed, & quum opera ventriculi attrahentis opus sit, ideò hæc collum incuruare ad deglutionem oportebat? recto etenim non ità commodè perficitur.

XVI. Quid est, quòd animal sæpenumero, licet minimè comedat, non famescit? an id ipsi euenit, ob copiam eius, quod est in hepate, alimenti? ventriculus enim facilè rapit ab hepate, ex venis scilicet, quæ in ipso sunt, quando ipse sufficienter appetit alimentum, cuius fuerit in viscere abundantia: vbi igitur ipse meliorem, ac promptiorem escam habuerit, nihil indiget externis.

XVII. Quid est quòd arteriæ, vel à cute, vel venis, vel ab ipso corde, vel vndequaque attrahant, semper id, quod tenuissimum est ac leuissimum attraheri solent? an quoniam in ea attractionis specie, quæ fit ad vacuum consecutione, semper quod leuissimum est ac tenuissimum prius attrahitur; grauius verò ac crassius semper est, quod sequitur? Attractionis enim duæ existunt species: altera quidem, quæ fit consecutione ad vacuum: altera autem, ex qualitatis affinitate: aliter enim aër in folles, aliter ferrum ab herculeo lapide attrahitur. Quum igitur in ea, quæ fit ad vacuum, consecutione, prius attrahatur id, quod est leuius, secundum verò qualitatis affinitatem: sæpius si ita contigerit grauius, si scilicet fuerit natura proximius, arteriæquè primo modo attrahant: non mirum, si semper illo, quod leuissimum est ac tenuissimum, prius attracto minimum reliqui suscipere nequeunt.

XVIII. Cur exercitati homines, promptiores ad quoslibet labores efficiuntur? an quòd exercitatione corporis partes redduntur robustiores?

XIX. Cur balneæ purgationibus obsistunt? an quia, quum calidæ sint, in partem extrinsecam, contrariam scilicet ei, ad quam medicamentum purgans ducere debet, humores expurgandos trahunt?

XX. Cur homines magnas, amplasque oculorum pupillas habentes, minus acutè vident, quàm illi, quorum exiguæ oculorum pupillæ existunt, qui acutissimè

tissimè cernunt, nisi malo quopiam ita effectæ fuerint? an quoniam spiritus animalis visiuus à cerebro ad oculos fluens, ampliorem pupillam impleri non sufficiens, diffunditur dissipaturque: contrà, qui in minorem influit pupillam, cogitur ac densior redditur? quo fit vt in seipso coactus, valentior ad videndum reddatur: vt è diuerso ille dissolutus dissipatusque, videndi difficultatem inducit: exigua verò pupilla, ob malum aliquod præter naturam, certè deterior mediocri existit, non ratione, qua exigua sit, sed ob morbum.

XXI. *Cur aliqui omne, quod aspiciunt, id in medio vacuum ac veluti fenestratum esse existimant? an quoniam in pupillæ oculi medio, aliquam hi paruam suffusionem habent, restantque partes, quæ circa sunt puræ, quippe id, quod in medio non apparet, excisum esse arbitrantur?*

XXII. *Cur alij ita res ipsas vident, ac si in aere ipso quàm plurimas muscas cernerent? an quoniam hi partes quasdam humorum minimas ac separatas in humore visui deseruiente habent, quæ horum visuum causæ sunt? Quibus verò aliquorum magis crassorum humorum copia in oculo existit, his quædam quasi simulachra semper se videre existimant.*

XXIII. *Cur aliqui ita obtusè vident, vt quæ longè posita sunt nusquam cernere possint, alijque res plures simul cernere nequeunt, sed vnam tantum? an ob humorum oculi crassitiem illi obtusè vident, quam si augeri continget, nihil penitus*

tus cernent? hi autem vnam tantùm rem vno intuitu videre poſſunt, ob id, quòd non totum pupillæ foramen à craſſo humore obtenebratur, ſed pars quædam minima illæſa ſeruatur.

XXIV. Cur aliqui per nebulas ac fumum ſe videre putant, aliqui quæcunque aſpiciunt, colorata eſſe exiſtimant? an ob humorem aqueum oculi in colores diuerſos mutatum? hic enim quum ſe ad fuſcum colorem verterit, fumi ac nebulæ imaginem repræſentat: quum verò in alios colores, omnia ſibi ſimili colore affecta videre putant.

XXV. Cur his, quibus ſanguis ex naribus fluxurus eſt, quibuſue vomitus ſperatur, ſplendores quidam in oculis apparere ſolent? an vapores à materia, vel per nares fluxura, vel per vomitum eleuati ad oculos, hoc efficere ſolent? quo pacto etiam aliquos optima cernendi facultate præditos, infeſtari quandoque videmus, quum non probè quandoque coxerint: ſymptomatis namque ſuffuſioni ſimilibus capiuntur, vaporibus ſcilicet à ventriculo ad oculos ipſos delatis.

XXVI. Cur ambuſti, & refrigerati odorem non ſentiunt? an quòd ambuſtio & refrigeratio ventriculos cerebri opplet, obſtruitque ſpatia? an etiam, quòd ſpiritus ibi contentus & cerebrum intemperie afficitur?

XXVII. Cur aqua maximè frigida, minus mordax eſt, quàm aër maximè frigidus, adeo quòd partem nullam, niſi vulneratam, aqua mordere videatur, aër etiam non vlceratam? an qui-

an quoniam aër aqua tenuior est ? res autem tenuior, semper in agendo efficacior est, quàm crassa: penetrabilior enim est, vnde & ratio haberi potest.

XXVIII. *Cur virgæ subtiles ac tenues maiorē inferant dolorem, si quis ipsis verberetur, quàm baculus ? quòd scilicet illæ tenuiores & penetrabiliores sunt, hic autem crassior, minusque penetrabilis.*

XXIX. *Cur partes corporis extremæ, magis à frigore patiuntur, magisque morderi solent, quàm non extremæ ? an quoniam rariores partes sunt, ideoque penetrabiliores, quàm reliquæ*

XXX. *Quamobrem color splendidior nigriore magis visioni officere natus est, quum splendens color visionis substantiæ maximè similis, familiarisque existat ? visio enim ipsa in splendore quodam consistere videtur, & niger visioni maximè aduersetur, contrariusque sit substantia: magis enim lædi visio ipsa videtur à splendidissimo quopiam colore, vt solis, niuis, vel alterius rei admodùm splendentis, quam à quantumuis obscurissimis tenebris: breuissimo nanquè tempore splendor maximus obcæcabit: tenebræ verò, non nisi per longum tempus. An dicendum est, in causa esse coloris splendentis tenuitatem, & nigri crassitiem ? quum enim, quod tenue est, magis agere natum sit, efficaciusque & diuidere & tenuitate sua disperdere & dissecare: contrà verò nigrum, qnod quia crassissimum est, ineptius agit, non*

mirum si visio à splendenti colore, licet à cognato & familiari magis lædatur, quàm à nigro, quod potius vt patiatur, idoneum ob crassitiem esse videtur.

XXXI. Quamobrem delectatio manifestior percipitur in sensu tactus & gustus, quàm in olfactu & auditu, minima autem in visu? an quoniam quæ crassiori substantia constant, sensibiliorem etiam delectationem prebent? Crassius autem quum sit solidum corpus, & humida natura, quæ ad tactum & gustum pertinent: splendore, aëre & vapore, quę ad reliquorum sensuum substantiam attinent: non mirum si sensuum ipsorum tactus & gustus maiori, quàm cæteri præditi sunt voluptate.

XXXII. Quamobrem inter sapores omnes, dulcis ac pinguis sapor gustui nostro (quum non à naturali habitu declinat) maximam adferunt voluptatem? an quoniam isti à moderatissima ortum habent caliditate, interque alios media quodammodo existunt temperie, ideoque corporis nostri naturæ familiarissimi sunt: ceteri verò sapores, non nisi deprauato gustui chari eße solent?

XXXIII. Quamobrem lingua ea maximè appetere nata est, quibus noscit ventriculum indigere? an huiusce appetitus ratio ei insita est, ab ambiente ipsam tunica, quam etiam ventriculus participat?

XXXIV. Vtrum in coitu maiorem fœmina voluptatem capiat, quàm vir, vel potius contrà? an dicen-

dicendum est, fœminam longè maiorem percipere in coitu voluptatem, quam percipiat vir? quum enim natura comparatum sit, vt genitalis seminis & secretionem & comprehensionem ingens comitetur voluptas, & fœmina vtroque modo patiatur: expellit enim semen fœmina, simul & attrahit: certum est ipsam maiorem voluptatem capere, quàm vir, qui vno tantummodo excernendo scilicet, voluptatem recipit.

XXXV. *Cur profundius dormiunt hi, qui labore aliquo diutius fatigati sunt, quàm qui nullo labori grauati sunt? an quoniam ipsorum cerebrum, vtpote cui plurimum animalis facultatis defluxerit, plurima etiam indiget spirituum restauratione?*

XXXVI. *Vtrum à tremore, qui partis alicuius deprauatus motus est, contingat omnino voluntatis mouentis facultatem (vt nonnulli asseuere) separari, vel non? nam inquiunt, videre quandoque est membrum aliquod totum, vt totum caput, ita tremere ac concuti, vt nulla omnino voluntatis facultas in motu illo appareat, sed tantùm preternaturalis causa: an dicendum est & in hoc voluntatis facultatem reperiri? nam quum & musculorum ipsorum actionem opus sit, ad sustentandum membrum, erectumque seruandum, & eodem pacto, vt in reliquis functionibus tendantur musculi: certum est, non omnino debere separari tremorem à mouentis ipsius volũtatis imperio: nempe & membrum extensum seruari, à motionis genere omnino abstrahi non licet.*

XXXVII. Cur, qui timent, quum loquuntur, verba sine tremore proferre nequeunt? an quoniam, quum totius corporis vires timor deijciat, partes vocem formantes cum toto reliquo corpore imbecilliores redduntur?

XXXVIII. Cur senior ætas functiones omnes tremulas efficit? an quum senectus ex se morbus sit (est enim intemperies quædam ad frigus & siccitatem declinans) functiones non nisi læsas ac debiles edere potest?

XXXIX. Cur palpitatio, qui deprauatus, & à natura omnino alienus motus est, nonnullis corporis partibus tantùm accidit, in alijs autem nunquam apparet? vt nec in chartilaginibus, nec in offibus, nec denique in durioribus partibus vllis? an quoniam motus iste in distinctione (diastolem Græci dicunt) consistit, ideo in eis tantummodo partibus, quæ distingui poßunt, reperitur, vt in cute, cutique subiectis musculis, genis, & temporibus & reliquis huiusmodi mollioribus corporis partibus? in duris autem, quum hæ à vapore nullo incluso (sic enim fieri palpitationem nouimus) distendi queant, non reperitur.

XL. Cur tussis, vomitus, sternutamenta, & similes reliqui motus, quum naturæ ipsius opera manifesta sint (expultricis enim ipsius facultatis actiones existunt) inter accidentia morbosa (symptomata dicunt) ennmerantur? an ideò inter morbosa enumerantur accidentia, ob causas naturam ipsam ad huiusmodi motum cogentes, quæ præter naturam existunt?

XLI.

XLI. Cur spiritus retentus tussim quandoque sanat, quandoque minimè? an quum multiplex tussis sit, ea tantum, quæ ex instrumentorum respirationi seruientium refrigeratione prouenit, à spiritu retento sanari potest? Nam quum augeatur in illis instrumentis, calor, ob intus cohibitam respirationem, spiritusque sub thorace violenter oppressus, in omnes arctos meatus penetret, partes illas omnes leuigat, & ad temperamenti equalitatem perducit, & ita tussim eam sanat: hoc verò de tussi, alia alias ob causa orta, effici nunquam potest, vtpote spiritu ipso retento non valente causas alias auferre.

XLII. Cur febre hectica laborantes, dolore aliquo corporis non cruciantur? an quoniam intemperies æqualis dolorem inferre non est apta? quippe quum ab huiusmodi intemperie corpus æqualiter occupetur: aduenit enim, vt quasi hæc acquisititia quædam natura sit, nihil ab ipsa ægri infestentur.

XLIII. Cur homines à somno potissimùm pandiculantur maximè, & distenduntur? an vt vaporantia excrementa in carnibus sentientes, tum ob ingesti cibi concoctionem, quæ maximè in somno fit: tum ob quietem ipsam exorta, expellant. Natura enim comparatum est, vt per insensibilia oscula, excrementitij illi vapores ità cute distensa, à nobis excernantur.

XLIV. Cur aliqui dum in sole deambulant, vel se in balneis exponunt, vel irascuntur, horrent maximè,

ximè, atque rigore præbenduntur? an hi sunt, quorum corpus cruditatibus maximè abundat, quæ dum vel à balnei calore, vel solis, vel ex iræ æstu calefiunt, resoluunturque per corpora sensibilia, mouentur: horroremque inde & rigorem inferunt maximum, quod ipsis non euenit, dum quiescunt? nam mota causa magis semper quiescente, molestiorem noxam infert.

XLV. Cur rigor ardenti febri superueniens, febrem, sed non illicò soluit? an dicendum est, rigorem ea ratione febrem ardentem soluere, vtpote refrigerantem, eo quòd contrariorum contraria remedia sint? an non hac ratione hoc euenit? Nam si verum hoc esset, vt lubet, semper quisque posset febricitantem aliquem aqua frigida vel aëre frigido, ipsi rigore excitato à febre soluere: insuper si febris ardens à rigore, ob id, quòd frigiditas inducitur, solueretur, oporteret, quòd statim in rigore febris quiesceret: ob frigidi enim aduentum subito calor recedere deberet. At certè non ita se res habet, imò in rigore, acrior ipsa vehementiorque febris apparet: dum enim maiori impetu mouetur, materia vehementior fit febris. Vnde melius dicendum est, febrem ardentem hoc ideo à rigore superueniente solui, quòd bilis (bile enim exuperante hanc febrem fieri nouimus) quæ in venis continebatur, à natura per carnes ad cutem criticè expellatur: mota igitur bile, per corpora sentientia rigor ipse fit, post quem vel per sudorem, vel (quum cōtingat etiam ipsam ad internas partes ferri) per

vomitum

vomitum, vel alui solutionem, vel, quum quandoque etiam intrò & foràs simul deferatur, vtroque modo simul, ipsa expurgata, soluitur febris.

XLVI. Sed cur rigor in his febribus adueniens quandoque, non modò ipsas non soluit, sed lethalis etiam, perniciosusque existit? an quum ægro iam debili accidat, lethalis ideo existit? quòd scilicet natura iam imbecilla rigoris agitationem ferre nequit, sed ipsa materiam noxiam expellere non valens, victa demum cadat necesse est.

XLVII. Cur rigor à causis inter se tam diuersis, à calidis scilicet & frigidis, efficitur, quum effectum eumdem contrarias generationis causas habere, absurdum videatur? an quum hæ causæ, calida scilicet & frigida, commune hoc habeant: in hocque conueniant, quòd ambo molestiam corpori inferant, licet diuersa ratione, hac communitate, quasi vna tantùm causa existat, rigorem inferunt?

XLVIII. Cur in timore nonnulli etiam rigore infestantur; in mæstitia vero nulli? an quum in timore sanguis & spiritus confertim, violenterque intrò feratur, extremæque corporis partes frigidæ statim relinquantur, ideo patientes hoc pro frigore horrent, rigentque? in mæstitia autem, quum sensim, paulatimque hic motus fiat, non ita euenit.

XLIX. Cur ob timorem, dolorem, ac gaudium, aliquos quandoque mori contingit; nullos autem ex ira? an quòd in timore spiritu & sanguine, qui-

bus

bus vt primis instrumentis anima ipsa vtitur, vel ipsorum calore, aut quòd in his ipsa consistit, intrò delatis affatim anima ipsa extinguitur suffocaturque, vel ob sanguinis refrigerationem, vel ob subitum ad interiora ipsius recursum? Similiter in dolore dicendum est, præ gaudio autem mors prouenit à contraria ratione: quum enim ad exteriora animata, ipsa facultas præ gaudio deferatur, laxata dissoluitur ac dissipatur. Ex ira autem ideò nemo moritur, quò calor nec refrigeratur, nec suffocatur, nec robur dissoluitur.

L. Cur in rigore, quum corpus ipsum frigidum fieri contingat (nec enim sine sensibili frigore rigor fit) siti vehementi ægros cruciari contingit, quum caliditatem potius sitis sequi debeat? an mirum non est, sitim in rigore prouenire, animali ipsa facultate vnà cum sanguine & calore ad interna reccurrente? quippe corporis frigiditas, quam diximus, extremarum tantummodo corporis partium est, quæ calore ad interna recurrente algidæ redduntur.

LI. Cur melancholicos ipsos timor semper comitatur? an ea ratione qua tenebræ omnibus timorem inferunt, melancholia sic rationalis animæ sedem occupans, timorem inducit? ipsa enim tenebris similis existens, non mirum si effectus etiam similes inducat: semper itaque melancholici timent, vtpote qui semper timoris causam secum in corpore circumferant.

LII. Vtrum singultus retentricis facultatis,

ventri-

ventriculi symploma sit? an expultricis, vel potius vtriusque? an certè dicendum est, vtriusque facultatis symptoma hoc eße? misceri enim quandoque simul contingit symptomata ipsa: nam retentricis facultatis, ventriculi symptoma esse potest, quòd ventriculus ipse prauè, & non secundum naturam cibos amplectatur, retineatque: expultricis verò, quòd ad ipsam pertineat, motus ille, quo ea quæ ventri molesta sunt, expellat.

LIII. Quid est quod corporum nostrorum caro maculis modò nigris, modò candidis, modo alicuius alterius coloris (medici leucas, vel vitiligines, & alphos nominant) sæpenumero signari solet? an hoc à deprauata ipsarum partium nutritione prouenit? quum etenim ab initio diutius pars aliqua sanguine deprauato, pituitoso scilicet, vel melancholico, vel quouis modo alio corrupto nutrita sit, efficitur vt colore, tunc ipsius praui alimenti maculosa adeò reddatur caro, vt deinde non possit amplius affluens sibi alimentum aliquod in rubentis carnis speciem transmutare, quo fit vt perpetuò maculosa permaneat.

LIV. Quid est, quòd ad capitis vulnera vomitus quandoque sequitur, quandoque verò minimè? an ad ea tantum vulnera, quæ ad internas capitis membranas perueniunt, vomitus sequitur, ob consensum scilicet neruorum, qui ex eis ad ventriculum demittuntur? Propter quod etiam ad vehementiores capitis dolores nausea quandoque, stomachique morsio sequi solet: ad vulnera verò, quæ leuiora

uiora sunt, & non ad membranas eas penetrantia, id minimè sequitur.

L V. Quid est, quòd affecto tantummodo cerebro in apoplexia vehementi, cor etiam læditur, ob quam rem animal illicò mori necesse est? an quoniam thorax, proprium scilicet respirationis instrumentum, munere suo fungi nequit? vtpote musculis, qui motionis principia à neruis in ipsos à spinali medulla, quæ in ceruice est delatis, suscipiunt, thoracem ipsum attollere nequeuntibus, priuatis scilicet mouendi facultate, quæ eis à cerebro influere solebat.

L V I. Quid est, quòd in somno, musculis reliquis omnibus quiescentibus, sola musculorum thoracis actio seruatur: quum omnes voluntarij motus, qui nusquam in sommo est, instrumenta sint? an hoc ideò prouenire dicendum est, ob vitæ ipsius necessitatem? actio enim hæc respirandi, licet à musculis, qui voluntatis imperio deseruiunt, efficiatur, nihilominus etiam naturæ ipsius munus esse videtur: composita enim quædam actio hæc esse censetur, partim ex arbitrio, partim sponte & naturaliter proueniens.

L V I I. Quid est, quòd nonnulli comitiali morbo laborantes, melancholici etiam euadunt, nonnulli verò minimè? an quum morbus comitialis modò ex pituita fiat, modò ex atra bile, vt plurimum laborantes morbo comitiali ex atra bile, quum humor hic cerebri corpus intemperie etiam afficiat, mentemque petat, melancholici efficiuntur:

tur:

tur: qui verò ex pituita laborant, non ita, pituita scilicet huiusmodi affectum inducere non valente?

L V III. *Quid est, quòd vox in vehementi exclamatione lædi solet? an quoniam guttur, vel ipsius musculi, vel membrana, quæ faucibus & gutturi communis est (hæc enim vocis ipsius instrumenta sunt) affectu inflammationi simili infestar solent in magna exclamatione?*

L I X. *Sed quamobrem in vehementioribus thoracis vulneribus vox maximè læditur? an quoniam vocis materia deficit? expiratione enim, vel exuflatione illa, quæ efficitur, quum affatim spiritus foras effertur (hæc enim propria vocis materia existit) in vulnere læsa, vocem etiam lædi necesse est.*

L X. *Vtrum effici possit, vt animalium respirationem habentium aliquod, tempore aliquo sine ipsa respiratione viuat? ita vt viuere videntur animalia quædam in cauernis latentia, quæ sine vlla respiratione viuere dicuntur: quod videtur etiam quandoque in hominibus ipsis, apoplexia, sopore, morbo comitiali laborantibus, in quibus nulla apparet spiratio, vt & in quadã vteri suffocatione etiam euenit mulieribus. An impossibile videtur, animal omni exactè spiratione priuatum in vita seruari posse? dicendumque potius est, in his spirationem quidem fieri, sed admodum exiguam, & vt sensum nostrum effugiat, aut quum exacta spiratione non indigeant hæc, illa tantum-*

ummodo transpiratione, quæ per vniuersum cor pus sit, seruari: illa inquam transpiratione, quam cor ipsum per arterias efficit, & quę ab ea differt, quæ propriè respiratio dicitur, à cerebro per thoracem ortum trahens.

LXI. Cur existente quandoque in thoracis spatio humorum copia per tussim etiam vehementiorem paucissimum quidpiam aliquem expuere contingit? an hoc euenit ob lentorem, maximamque humorum illorum crassitiem, vtpote qui non tam facilè à corporibus, quibus impacti sunt, abstergantur, maiorique etiam spiritus vehementia indigeant, vt expellantur? an hoc etiam euenire potest, ob ipsorum maiorem, quàm opus sit, tenuitatem? siquidem tenuis humor, quum subleuatus est, inter tussiendum à spiritu diuisus refluit, reyci que ideò nequit. Sputum igitur id tantummodo, quod neque admodum liquidū, aut tenue aquosumue sit, neque item crassum aut lentum admodum, sed medium quodam pacto inter hæc locum obtinens, id facilè efferri solet, & potissimùm vbi vires validæ extiterint.

LXII. Quid est, quòd in pulmonis inflammatione (peripneumoniam Græci appellant) inter reliqua huiusce morbi accidentia, quandoque angustiæ, grauitatisque sensus maior apparet, quàm inflammationis calor, quandoq; verò calor ipse maior existit, quàm grauitas? an quòd quandoque maior flauæ bilis copia inest, quandoque pituitæ? vbi etenim maior flauæ bilis copia existit, vt potè quæ

calidissima sit omnium humorum in corpore modò existentium, ibi etiam maiorem caloris sensum inesse, neceße est: vbi autem pituita exuperat frigida, quæ copia potius officere nata est, non mirum si grauem potius dolorem inferat, quàm acutum calidumue.

LXIII. *Vtrum pus saniesue, quæ ex thoracis spatio in pulmone per asperæ arteriæ partes extremas recipitur, deinde tussiendo excreatur, aspirationis tempore? an quietis, vel potius respirationis tempore recipiatur? an certè dicendum est, hoc tunc temporis effici, quum thorax constringitur, quod est respirationis tempore? Spirandi etenim munus, thoracis proprium est, pulmone nullam propriam habente motionem, quippe qui secundum thoracis motum modò constringitur, modò dilatatur? nam thorax vehementer constrictus, humorem qui in eo spatio, quod inter ipsum & pulmonem est, continetur, in asperas ipsius arterias comprimendo cogit: quamobrem etiam natura, quò robustior fieret, expressio ista tussi animalia prædita eße voluit. Non igitur aspirationis tempore, quo thorax dilatatur, nec in ipsius quiete hanc fieri receptionem existimandum est, sed respirationis tempore.*

LXIV. *Sed cur homines, quibus sic materia aliqua in spatio thoracis continetur (suppuratos appellant medici) quum hac via ipsis expurgari contingat, sæpenumero moriuntur? an quia viribus opus est, quibus vehemens hæc expreßio per*

mirum si visio à splendenti colore, licet à cognato & familiari magis lædatur, quàm à nigro, quod potius vt patiatur, idoneum ob crassitiem esse videtur.

XXXI. *Quamobrem delectatio manifestior percipitur in sensu tactus & gustus, quàm in olfactu & auditu, minima autem in visu? an quoniam quæ crassiori substantia constant, sensibiliorem etiam delectationem prebent? Crassius autem quum sit solidum corpus, & humida natura, quæ ad tactum & gustum pertinent: splendore, aëre & vapore, quę ad reliquorum sensuum substantiam attinent: non mirum si sensuum ipsorum tactus & gustus maiori, quàm cæteri præditi sunt voluptate,*

XXXII. *Quamobrem inter sapores omnes, dulcis ac pinguis sapor gustui nostro (quum non à naturali habitu declinat) maximam adferunt voluptatem? an quoniam isti à moderatissima ortum habent caliditate, interque alios media quodammodo existunt temperie, ideoque corporis nostri naturæ familiarissimi sunt: ceteri verò sapores, non nisi deprauato gustui chari eße solent?*

XXXIII. *Quamobrem lingua ea maximè appetere nata est, quibus noscit ventriculum indigere? an huiusce appetitus ratio ei insita est, ab ambiente ipsam tunica, quam etiam ventriculus participat?*

XXXIV. *Vtrum in coitu maiorem fœmina voluptatem capiat, quàm vir, vel potius contrà? an dicen-*

dicendum est, fœminam longè maiorem percipere in coitu voluptatem, quam percipiat vir? quum enim natura comparatum sit, vt genitalis seminis & secretionem & comprehensionem ingens comitetur voluptas, & fœmina vtroque modo patiatur: expellit enim semen fœmina, simul & attrahit: certum est ipsam maiorem voluptatem capere, quàm vir, qui vno tantummodo excernendo scilicet, voluptatem recipit.

XXXV. *Cur profundius dormiunt hi, qui labore aliquo diutius fatigati sunt, quàm qui nullo labori grauati sunt? an quoniam ipsorum cerebrum, vtpote cui plurimum animalis facultatis defluxerit, plurima etiam indiget spirituum restauratione?*

XXXVI. *Vtrum à tremore, qui partis alicuius deprauatus motus est, contingat omnino voluntatis mouentis facultatem (vt nonnulli asseruere) separari, vel non? nam inquiunt, videre quandoque est membrum aliquod totum, vt totum caput, ita tremere ac concuti, vt nulla omnino voluntatis facultas in motu illo appareat, sed tantùm preternaturalis causa: an dicendum est & in hoc voluntatis facultatem reperiri? nam quum & musculorum ipsorum actionem opus sit, ad sustentandum membrum, erectumque seruandum, & eodem pacto, vt in reliquis functionibus tendantur musculi: certum est, non omnino debere separari tremorem à mouentis ipsius volũtatis imperio: nempe & membrum extensum seruari, à motionis genere omnino abstrahi non licet.*

XXXVII. Cur, qui timent, quum loquuntur, verba sine tremore proferre nequeunt? an quoniam, quum totius corporis vires timor deijciat, partes vocem formantes cum toto reliquo corpore imbecilliores redduntur?

XXXVIII. Cur senior ætas functiones omnes tremulas efficit? an quum senectus ex se morbus sit (est enim intemperies quædam ad frigus & siccitatem declinans) functiones non nisi læsas ac debiles edere potest?

XXXIX. Cur palpitatio, qui deprauatus, & à natura omnino alienus motus est, nonnullis corporis partibus tantùm accidit, in alijs autem nunquam apparet? vt nec in chartilaginibus, nec in ossibus, nec denique in durioribus partibus vllis? an quoniam motus iste in distinctione (diastolem Græci dicunt) consistit, ideo in eis tantummodo partibus, quæ distingui poßunt, reperitur, vt in cute, cutique subiectis musculis, genis, & temporibus & reliquis huiusmodi mollioribus corporis partibus? in duris autem, quum hæ à vapore nullo incluso (sic enim fieri palpitationem nouimus) distendi queant, non reperitur.

XL. Cur tussis, vomitus, sternutamenta, & similes reliqui motus, quum naturæ ipsius opera manifesta sint (expultricis enim ipsius facultatis actiones existunt) inter accidentia morbosa (symptomata dicunt) ennmerantur? an ideò inter morbosa enumerantur accidentia, ob causas naturam ipsam ad huiusmodi motum cogentes, quæ præter naturam existunt?

XLI.

XLI. Cur spiritus retentus tussim quandoque sanat, quandoque minimè? an quum multiplex tussis sit, ea tantum, quæ ex instrumentorum respirationi seruientium refrigeratione prouenit, à spiritu retento sanari potest? Nam quum augeatur in illis instrumentis, calor, ob intus cohibitam respirationem, spiritusque sub thorace violenter oppressus, in omnes arctos meatus penetret, partes illas omnes leuigat, & ad temperamenti æqualitatem perducit, & ita tussim eam sanat: hoc verò de tussi, alia alias ob causa orta, effici nunquam potest, vtpote spiritu ipso retento non valente causas alias auferre.

XLII. Cur febre hectica laborantes, dolore aliquo corporis non cruciantur? an quoniam intemperies æqualis dolorem inferre non est apta? quippe quum ab huiusmodi intemperie corpus æqualiter occupetur: aduenit enim, vt quasi hæc acquisititia quædam natura sit, nihil ab ipsa ægri infestentur.

XLIII. Cur homines à somno potissimùm pandiculantur maximè, & distenduntur? an vt vaporantia excrementa in carnibus sentientes, tum ob ingesti cibi concoctionem, quæ maximè in somno fit: tum ob quietem ipsam exorta, expellant. Natura enim comparatum est, vt per insensibilia oscula, excrementitij illi vapores ità cute distensa, à nobis excernantur.

XLIV. Cur aliqui dum in sole deambulant, vel se in balneis exponunt, vel irascuntur, horrent maximè,

ximè, atque rigore præbenduntur? an hi sunt, quorum corpus cruditatibus maximè abundat, quæ dum vel à balnei calore, vel solis, vel ex iræ æstu calefiunt, resoluunturque per corpora sensibilia, mouentur: horroremque inde & rigorem inferunt maximum, quod ipsis non euenit, dum quiescunt? nam mota causa magis semper quiescente, molestiorem noxam infert.

XLV. Cur rigor ardenti febri superueniens, febrem, sed non illicò soluit? an dicendum est, rigorem ea ratione febrem ardentem soluere, vtpote refrigerantem, eo quòd contrariorum contraria remedia sint? an non hac ratione hoc euenit? Nam si verum hoc esset, vt lubet, semper quisque posset febricitantem aliquem aqua frigida vel aëre frigido, ipsi rigore excitato à febre sòluere: insuper si febris ardens à rigore, ob id, quòd frigiditas inducitur, solueretur, oporteret, quòd statim in rigore febris quiesceret: ob frigidi enim aduentum subito calor recedere deberet. At certè non ita se res habet, imò in rigore, acrior ipsa vehementiorque febris apparet: dum enim maiori impetu mouetur, materia vehementior fit febris. Unde melius dicendum est, febrem ardentem hoc ideo à rigore superueniente solui, quòd bilis (bile enim exuperante hanc febrem fieri nouimus) quæ in venis continebatur, à natura per carnes ad cutem criticè expellatur: mota igitur bile, per corpora sentientia rigor ipse fit, post quem vel per sudorem, vel (quum cõtingat etiam ipsam ad internas partes ferri) per

vomitum

vomitum, vel alui solutionem, vel, quum quandoque etiam intrò & foràs simul deferatur, vtroque modo simul, ipsa expurgata, soluitur febris.

X L V I. Sed cur rigor in his febribus adueniens quandoque, non modò ipsas non soluit, sed lethalis etiam, perniciosusque existit? an quum ægro iam debili accidat, lethalis ideo existit? quòd scilicet natura iam imbecilla rigoris agitationem ferre nequit, sed ipsa materiam noxiam expellere non valens, victa demum cadat necesse est.

X L V I I. Cur rigor à causis inter se tam diuersis, à calidis scilicet & frigidis, efficitur, quum effectum eumdem contrarias generationis causas habere, absurdum videatur? an quum hæ causæ, calida scilicet & frigida, commune hoc habeant: in hocque conueniant, quòd ambo molestiam corpori inferant, licet diuersa ratione, hac communitate, quasi vna tantùm causa existat, rigorem inferunt?

X L V I I I. Cur in timore nonnulli etiam rigore infestantur; in mæstitia vero nulli? an quum in timore sanguis & spiritus confertim, violenterque intrò feratur, extremæque corporis partes frigidæ statim relinquantur, ideo patientes hoc pro frigore horrent, rigentque? in mæstitia autem, quum sensim, paulatimque hic motus fiat, non ita euenit.

XLIX. Cur ob timorem, dolorem, ac gaudium, aliquos quandoque mori contingit; nullos autem ex ira? an quòd in timore spiritu & sanguine, quibus

bus vt primis instrumentis anima ipsa vtitur, vel ipsorum calore, aut quòd in his ipsa consistit, intrò delatis affatim anima ipsa extinguitur suffocaturque, vel ob sanguinis refrigerationem, vel ob subitum ad interiora ipsius recursum? Similiter in dolore dicendum est, præ gaudio autem mors prouenit à contraria ratione: quum enim ad exteriora animata, ipsa facultas præ gaudio deferatur, laxata dissoluitur ac dissipatur. Ex ira autem ideò nemo moritur, quò calor nec refrigeratur, nec suffocatur, nec robur dissoluitur.

L. Cur in rigore, quum corpus ipsum frigidum fieri contingat (nec enim sine sensibili frigore rigor fit) siti vehementi ægros cruciari contingit, quum caliditatem potius sitis sequi debeat? an mirum non est, sitim in rigore prouenire, animali ipsa facultate vnà cum sanguine & calore ad interna reccurrente? quippe corporis frigiditas, quam diximus, extremarum tantummodo corporis partium est, quæ calore ad interna recurrente algidæ redduntur.

LI. Cur melancholicos ipsos timor semper comitatur? an ea ratione qua tenebræ omnibus timorem inferunt, melancholia sic rationalis animæ sedem occupans, timorem inducit? ipsa enim tenebris similis existens, non mirum si effectus etiam similes inducat: semper itaque melancholici timent, vtpote qui semper timoris causam secum in corpore circumferant.

LII. Vtrum singultus retentricis facultatis,

ventri-

ventriculi symptoma sit ? an expultricis, vel potius vtriusque ? an certè dicendum est, vtriusque facultatis symptoma hoc esse? misceri enim quandoque simul contingit symptomata ipsa: nam retentricis facultatis, ventriculi symptoma esse potest, quòd ventriculus ipse prauè, & non secundum naturam cibos amplectatur, retineatque: expultricis verò, quòd ad ipsam pertineat, motus ille, quo ea quæ ventri molesta sunt, expellat.

LIII. Quid est quod corporum nostrorum caro maculis modò nigris, modò candidis, modo alicuius alterius coloris (medici leucas, vel vitiligines, & alphos nominant) sæpenumero signari solet ? an hoc à deprauata ipsarum partium nutritione prouenit ? quum etenim ab initio diutius pars aliqua sanguine deprauato, pituitoso scilicet, vel melancholico, vel quouis modo alio corrupto nutrita sit, efficitur vt colore, tunc ipsius praui alimenti maculosa adeò reddatur caro, vt deinde non possit amplius affluens sibi alimentum aliquod in rubentis carnis speciem transmutare, quo fit vt perpetuò maculosa permaneat.

LIV. Quid est, quòd ad capitis vulnera vomitus quandoque sequitur, quandoque verò minimè ? an ad ea tantum vulnera, quæ ad internas capitis membranas perueniunt, vomitus sequitur, ob consensum scilicet neruorum, qui ex eis ad ventriculum demittuntur ? Propter quod etiam ad vehementiores capitis dolores nausea quandoque, stomachique morsio sequi solet: ad vulnera verò, quæ leuiora

niora sunt, & non ad membranas eas penetrantia, id minimè sequitur.

LV. Quid est, quòd affecto tantummodo cerebro in apoplexia vehementi, cor etiam læditur, ob quam rem animal illicò mori necesse est? an quoniam thorax, proprium scilicet respirationis instrumentum, munere suo fungi nequit? vtpote musculis, qui motionis principia à neruis in ipsos à spinali medulla, quæ in ceruice est delatis, suscipiunt, thoracem ipsum attollere nequeuntibus, priuatis scilicet mouendi facultate, quæ eis à cerebro influere solebat.

LVI. Quid est, quòd in somno, musculis reliquis omnibus quiescentibus, sola musculorum thoracis actio seruatur: quum omnes voluntarij motus, qui nusquam in somno est, instrumenta sint? an hoc ideò prouenire dicendum est, ob vitæ ipsius necessitatem? actio enim hæc respirandi, licet à musculis, qui voluntatis imperio deseruiunt, efficiatur, nihilominus etiam naturæ ipsius munus esse videtur: composita enim quædam actio hæc esse censetur, partim ex arbitrio, partim sponte & naturaliter proueniens.

LVII. Quid est, quòd nonnulli comitiali morbo laborantes, melancholici etiam euadunt, nonnulli verò minimè? an quum morbus comitialis modò ex pituita fiat, modò ex atra bile, vt plurimum laborantes morbo comitiali ex atra bile, quum humor hic cerebri corpus intemperie etiam afficiat, mentemque petat, melancholici efficiuntur:

tur: qui verò ex pituita laborant, non ita, pituita scilicet huiusmodi affectum inducere non valente?

L VIII. Quid est, quòd vox in vehementi exclamatione lædi solet? an quoniam guttur, vel ipsius musculi, vel membrana, quæ faucibus & gutturi communis est (hæc enim vocis ipsius instrumenta sunt) affectu inflammationi simili infestar solent in magna exclamatione?

L IX. Sed quamobrem in vehementioribus thoracis vulneribus vox maximè læditur? an quoniam vocis materia deficit? expiratione enim, vel exuflatione illa, quæ efficitur, quum affatim spiritus foras effertur (hæc enim propria vocis materia existit) in vulnere læsa, vocem etiam lædi necesse est.

L X. Utrum effici possit, vt animalium respirationem habentium aliquod, tempore aliquo sine ipsa respiratione viuat? ita vt viuere videntur animalia quædam in cauernis latentia, quæ sine vlla respiratione viuere dicuntur: quod videtur etiam quandoque in hominibus ipsis, apoplexia, sapore, morbo comitiali laborantibus, in quibus nulla apparet spiratio, vt & in quadã vteri suffocatione etiam euenit mulieribus. An impossibile videtur, animal omni exactè spiratione priuatum in vita seruari posse? dicendumque potius est, in his spirationem quidem fieri, sed admodum exiguam, & vt sensum nostrum effugiat, aut quum exacta spiratione non indigeant hæc, illa tan-

tum-

ummodo transpiratione, quæ per uniuersum cor pus fit, seruari: illa inquam transpiratione, quam cor ipsum per arterias efficit, & quę ab ea differt, quæ propriè respiratio dicitur, à cerebro per thoracem ortum trahens.

LXI. Cur existente quandoque in thoracis spatio humorum copia per tussim etiam vehementiorem paucissimum quidpiam aliquem expuere contingit? an hoc euenit ob lentorem, maximamque humorum illorum crassitiem, vtpote qui non tam facilè à corporibus, quibus impacti sunt, abstergantur, maiorique etiam spiritus vehementia indigeant, vt expellantur? an hoc etiam euenire potest, ob ipsorum maiorem, quàm opus sit, tenuitatem? siquidem tenuis humor, quum subleuatus est, inter tussiendum à spiritu diuisus refluit, reyciique ideò nequit. Sputum igitur id tantummodo, quod neque admodum liquidũ, aut tenue aquosumue sit, neque item crassum aut lentum admodum, sed medium quodam pacto inter hæc locum obtinens, id facilè efferri solet, & potissimùm vbi vires validæ extiterint.

LXII. Quid est, quòd in pulmonis inflammatione (peripneumoniam Græci appellant) inter reliqua huiusce morbi accidentia, quandoque angustiæ, grauitatisque sensus maior apparet, quàm inflammationis calor, quandoq; verò calor ipse maior existit, quàm grauitas? an quòd quandoque maior flauæ bilis copia inest, quandoque pituitæ? vbi etenim maior flauæ bilis copia existit, vt potè quæ

cali-

calidissima sit omnium humorum in corpore modò existentium, ibi etiam maiorem caloris sensum inesse, neceße est: vbi autem pituita exuperat frigida, quæ copia potius officere nata est, non mirum si grauem potius dolorem inferat, quàm acutum calidumue.

LXIII. Vtrum pus saniesue, quæ ex thoracis spatio in pulmone per asperæ arteriæ partes extremas recipitur, deinde tussiendo excreatur, aspirationis tempore? an quietis, vel potius respirationis tempore recipiatur? an certè dicendum est, hoc tunc temporis effici, quum thorax constringitur, quod est respirationis tempore? Spirandi etenim munus, thoracis proprium est, pulmone nullam propriam habente motionem, quippe qui secundum thoracis motum modò constringitur, modò dilatatur? nam thorax vehementer constrictus, humorem qui in eo spatio, quod inter ipsum & pulmonem est, continetur, in asperas ipsius arterias comprimendo cogit: quamobrem etiam natura, quò robustior fieret, expreßio ista tussi animalia prædita eße voluit. Non igitur aspirationis tempore, quo thorax dilatatur, nec in ipsius quiete, hanc fieri receptionem existimandum est, sed respirationis tempore.

LXIV. Sed cur homines, quibus sic materia aliqua in spatio thoracis continetur (suppuratos appellant medici) quum hac via ipsis expurgari contingat, sæpenumero moriuntur? an quia viribus opus est, quibus vehemens hæc expreßio per

mus, sanguine scilicet ipso ab extranea aliqua causa corrupto, biliosoque reddito, vt à morsu ferarum quandoque fieri cernitur, & à veneni alicuius potione, quæ humorum colorem variare maximè potest.

LXIX. *Quid est, quòd multæ aquæ frigidæ potionem intempestiuam aqua inter cutem sequi statim solet? an quoniam ex multa frigidæ potione hepar refrigeratum humores in sanguinem transmutare non valet?*

LXX. *Quid est, quòd in vrinæ profluuio renes, quum infirmi admodum sint (morbus enim iste ex renum prouenit imbecillitate) tam celeriter vrinā ad sese trahunt? an quemadmodum in ventriculo quibusdam lientericis vehementissima excitatur ciborum cupiditas, ita in renibus quoque vnà cum imbecillitate cupiditas simul oritur? atque hanc ob causam, hi vrinam per concauam venam ad sese trahunt: sed quum illicò ab attractionis impetu grauentur, eam etiam illicò excernunt.*

LXXI. *Sed quamobrem vrinæ profluuium subitò euenire potest, leuitas intestinorum non potest: veluti neque canina appetentia? hæc enim sibi inuicem quodam pacto proportione respondere videntur: sed plurium dierum numero opus est: affectus enim initium ab incremento, incrementum à vigore distinguitur in his. An quoniam ventriculi cupiditas, qua cibum potumque appetit, animale officium est: quò fit, vt citrà sensum nostrum nequaquàm ipso fungatur? Renum verò deside-*

rium naturale eſt , neque ab ipſo ſenſus noſtri afficiuntur : proinde , quum ad ſtatum peruenit, ne ſenſum quidem mouet, quemadmodum appetentia canina . Qua de re conſentaneum videtur , vt quum inceperit , paulatim increſcat , & ſenſum non moueat: vnde ſubitò hoc fieri videtur, illud in tempore.

LXXII. Utrum vterus in hyſtericis dictis accidentibus , veluti animal quoddam errabundum, modò ſursùm , modò in latus diſcurrat , vel ob cauſam quampiã aliam ad hunc vel illũ locũ retrahatur ? an ſciendum eſt , vterum in mulieribus non velut animal ad hunc vel illum locum moueri (vt aliqui aſſeruere) qui ipſum peruenire vſque ad ſeptum tranſuerſum voluerunt , reſpirationemque ſic impedire arbitrati ſunt ? ſed ab extenſione retrahi ipſum dicendum eſt , quæ extenſio ob vaſorum ad ipſum peruenientium , plenitudinem fieri ſolet : quæ plenitudo , ex menſtruorum retentione prouenit : in qua , licet ad vterum ſanguis perueniat , ad interna tamen ipſius ingredi non poteſt , aut quia craſſior ſit quàm vt per ora vaſorum poſſit penetrare , aut quia clauſa ſunt ora : itaque multiplicatus , in vaſis ipſa extendit : ad quorum extenſionem , continuò vterum retrahi neceſſe eſt : & ſi æqualiter vndique trahantur , recta erit & ſine inclinatione, ipſorum tranſmutatio : ſi verò inæqualiter , ad partem vehementius trahentẽ intenduntur . Hac igitur de cauſa , & non ab animali voluntate aliqua , vterum moueri, retrahique dicendum videtur .

LXXIII.

LXXIII. *Quamobrem, quum in libidinis impetu coles extenditur, & in auctiorem crescit magnitudinem, illa ipsius pars, quæ glans dicitur, nec extenditur vnquam, nec magnitudinem mutat: an quum colis substantialis sit, vt neruosum ac omniquaque fistulosum totum corpus habeat, excepta glande ipsa: ob idque à vaporoso spiritu ab arterijs in fistulosum ipsum neruum affluente extendatur, in tumoremque attollatur? non mirum, si glans æqualem semper magnitudinem seruat, quum in ipsam fistulosus neruus non ingrediatur, spirituque ob id non impleatur.*

LXXIV. *Quid est, quòd ob supinum decubitum coles erigitur, impetusque ad Venerem excitatur? an quoniam calfactis lumbis arteriæ etiam calidiores redduntur, ipsarumque ora magis patefiunt? quò fit, vt non parum tunc spiritus vaporosi in fistulosum colis neruum effundatur, qui spiritu illo plenus extenditur, sicque in Veneris stimulum homines excitantur.*

LXXV. *Quid est, quòd pulsatorius vocatus dolor, qui inflammationis affectus sequi solet, neque hepatis, neque renum, neque pulmonis inflammationes comitatur: sed grauitas potius, vel grauans dolor in istis sentitur? an quum dolor iste in corporibus tantummodo sensitiuis, & vel per se, vel propriè, vel affectu primario in arterijs fiat, & neque pulmo, neque hepar, neque renes sensu præditi sit. Nullus enim per ipsorum corpus neruus dispergitur? ob hoc dolor pulsatilis in his non reperitur.*

sed tantummodo, quum à tumore quopiam præter naturam infestantur, in ipsis grauatiuus sentitur dolor: qui in his ob id sentitur, quòd adiacens ipsis membrana, per quam neruus dispergitur, sensu potitur, non tamen pulsatilis, quum nullæ illi membranæ arteriæ insint.

LXXVI. Utrum comitialis morbus ob plenitudinem tantummodo, vel etiam ob inanitionem fiat? hunc enim, quum couulsio sit, ob causam vtranque fieri forte neceße videbitur. An dicendum est, morbum comitialem ob plenitudinem tantummodo fieri? quod patere potest ex eo, quòd & subitò fit & soluitur etiam subitò, id quod per corporum inanitionem fieri haudquaquam poßet: non enim fieri potest, vt ità confestim siccitas in parte aliqua fiat, vt nec quòd pars vlla à siccitate tam breui liberetur. Nusquam igitur dicendum est, comitialem morbum ab inanitione fieri.

LXXVII. Quid est, quòd humore melancholico eodem caput infestante, non idem semper sequitur affectus, sed nunc melancholica sequitur insania, nunc verò comitialis morbus? an hoc ratione duplicis paßionis cerebri modi prouenit, licet vna eademque causa sit? nam vbi cerebrum à melancholico humore, vt instrumentalis pars infestatur, quum scilicet meatus ipsius obstruuntur, tunc comitialis morbus fit: vbi verò, vt similaris pars intemperiè afficitur, melancholica oritur affectio.

LXXVIII. Quid causæ est, quòd gustandi facultas quandoquè læditur, tangendi linguæ sensu haud-

haudquaquam læso, quum ijsdemmet neruis sensus vterque vtatur? neque enim alio gustus, atque alio tactus neruo vtitur. An ob id quòd ad gustum exactiori opus est iudicio, fit, vt à qualicumque vel minima causa offendatur: tangendi verò sensus, vt qui crassissimus est, non semper à quocunque pati natus est? Hinc igitur sæpè euenit, vt gustu læso tactus seruetur.

LXXIX. Quamobrem comitialis morbus, apoplexia, conuulsio & distentio, modò inter acutos morbos, modò inter diutinos, à medicis enumerantur? an ratione magnitudinis, celeritatisque horum acuti nuncupantur; ratione vero dispositionis ipsos facientis diutini?

LXXX. Quamobrem morbus regius febribus superueniens modò bonum, modò malum quidpiam ostendit? an quum ob bilem iudicatoriè delatam ad cutem morbus regius fit, vtpote euacuata materia febrem faciente, bonum existit? quum verò non ità euenit, malum est, quòd scilicet hepatis malam dispositionem demonstret.

LXXXI. Quid est, quòd causa eadem, eundem locum occupans in morbo comitiali & apoplexia, in hac resolutionem, in illo conuulsionem facit? an quum in apoplexia, omnimoda obstructio fit, & carentia virtutis ad neruos defluentis, ideo omnis & sentiendi & mouendi vis in hac amittitur, quod aliud non est quàm, resolutio? in comitiali verò, quum leuior obstructio fit, non tota omnino vis & motus & sensus deperditur, sed deprauatus hic

conuulsionis efficitur motus.

LXXXII. Vtrum, quum à mediocritate recedendum est, melius sit ad crassitiem quàm ad gracilitatem accedere, vel contrà? an semper existimandum est, peiorem esse ad crassitudinem excessum, quàm ad gracilitatem? Si quidem in crassitie, quum angustiores arteriæ ac venæ reddantur, atque ideò parum spiritus ac sanguinis in eis insit, maius imminet periculum, ob qualemcunque caussam, ne calor natiuus destruatur.

LXXXIII. Propter quid in comitiali morbo spuma circà os existens lethalis est? an quoniam spuma hæc pulmonis patientis violentiam significat? præcipuè autem hoc fit propter, eam quæ ad ipsum ex corde impellitur caliditatem, vnde & caloris efferuescentia, & motu spiritus violento, & vehementi pulmonis conatu, ad educendum spuma enata signum existit mortale.

LXXXIV. Vtrum comitialis morbi spuma ex ventre (vt nonnulli asseruere) prouenire etiam possit? an ex pulmone tantùm? an certè fieri nequit, vt subitò tota illa spuma ex ventre proueniat, quum neque eo tempore animal euomat, neque nauseam vllam patiatur? citrà quos casus quicquam ex ventre efferri est impossibile, & nullominus fieri potest, vt plurimus aliquis vapor efferatur, eodem modo, quo in expirationibus, quum nulla talis ex ventre substantia afferri possit, qualis ex pulmone expirari solet.

LXXXV. Quid est, quòd pueri omnium maxi-

mè conuulſionibus capi ſolent, vnde & comitialis morbus, qui conuulſio eſt, puerilis nominatur? an ob alimentorum cruditatem hoc eis euenit? quum enim plus iuſto edaces ſint, quę ingerunt, non benè coquunt: vnde in ipſis multitudo crudorum humorum aceruata, huius morbi cauſa exiſtit. An etiam ob neruoſarum partium, quę nondum ſatis calidæ ſunt, imbecillitatem tales ipſis proueniunt morbi?

LXXXVI. Cur lapides, qui ob crudorum humorum copiam in veſica generari ſolent, quiue tam cerebrò ob id in pueris fiunt, non itidem in ſenioribus accidunt? qui ob concoctricis facultatis imbecillitatem multos etiam humores crudos generant? an quum ad horum lapidum generationem, requiratur etiam caliditatis vehementia, quæ ex materia craſſa vaporem reſoluens lapides ex craſſiori facit, & pueri huiuſmodi caliditate abundent, ideò facilè hoc morbo capiuntur: ſenes verò, vtpote quibus calor iſte deficit, non multum lapides generant, licet materia cruda abundent?

LXXXVII. Vtrum humores corrupti ex naturæ coctione iterum poſſint ad primam redire bonitatem? an nunquam ad priſtinam naturam reuerti dicendum eſt humores verè corruptos? vbi enim exacta facta eſt horum corruptio, nunquàm redeunt: ſi autem parua horum corruptio ſit, vbi id, quod ſuperuacuum eſt, fuerit euacuatum, quod reſiduum exiſtit, ad ſuam naturam reſtitui poteſt: omnimoda autem corruptio, & quæ propriè corrup-

tio

tio dicitur, nunquam redit. Simile enim humoribus accidit, quale vinis, quæ vbi ex toto acida facta sunt, nusquàm redeunt: parua autem in ipsis facta corrupitione, iterum reuerti possunt.

LXXXVIII. Vtrum humorum plenitudo (plethoram Græci vocant) quæ ad vires refertur, (duplicem etenim scimus plenitudinem esse, alterã respectu virium, alteram respectu vasorum continentium) corruptionem (cachochymiam ijdem appellant) permanere possit, vel non? an sciendum est, incipere quidem posse plenitudinem istam absque corruptione, sed diutius permanere non posse sine ipsa? omnino enim necesse est, vt secundum qualitatem transmutentur humores isti, & processu temporis corrumpantur.

LXXXIX. Quid est, quòd noctu mala omnia grauiora redduntur? an quòd grauitas omnis, & molestia noctu manifestior fit? nam hoc tempore dormire, ac quiescere consueuimus. Somnis igitur à perturbatione quapiam interruptis, clarius, licet & similis quandoque interdiu fiat, molestia percipi solet.

XC. Quid est, quòd in agrorum purgationibus quandoque fastidia, tormina, vertigines, dissolutionesque, & difficiles omnino fiunt eductiones? an ob præparationem neglectam hæc accidere manifestum est? quum enim humores crassi & tenues non extenuantur, neque inciduntur, meatusque, per quos humores transmitti debent, non aperiuntur, purgationem tunc non rectè procedere certum est,

hæcque

hæcque mala omnia contingere necesse est: quamobrem antequam purgare incipias, præparationem prius adhibe opportunam.

XCI. *Quid est, quòd conualscentes diutiusque & multum ex morbo extenuatos, tenuius atque parcius nutrimus: breui autem & parum extenuatos, plenius, ac celerius? quum potius contrà effici debere videatur. nam qui diutius multumque extenuati sunt, vtpote quibus carnes ipsæ contabuerunt, pleniori certè indigent alimento: qui verò parum ac breui extenuati sunt, qui scilicet tantummodo ob humorum spirituumque euacuationem, non ex solidorum colliquatione tales sunt, paucio ri etiam indigent alimento: An quum priores, licet maximo indigeant nutrimento, ob extenuationem imbecilliores admodum redditi sint: nec tantum alimenti coquere valeant, quantum corpus eget, ideò lentè ac tenuiter nutriendi sunt? qui verò parum extenuati sunt, ob id plenius ac celerius reficiendi sunt, quòd fiduciam nobis coquendi magnam, solidarum partium robur præstet.*

XCII. *Quamobrem nunnulli cibos coctu difficiles melius, quàm faciles conficiunt ac concoquunt? an hoc nonnullis euenit, ob exuperantioris caliditatis vim, qua hi melius, quæ duriora sunt conficiunt, quàm quæ facilis coctionis sunt? nam ista potius immodico illo calore dissipant, corrumpuntque quàm rectè coquant. Calor verò hic, ob flauè bilis maiorem copiam in ventre collectam ipsis accidit, vel etiam ob prauam ipsorum temperiem acris admodum, ac mor-*

dax calor extat: qui in causa est, vt leuius bubulam quidam carnem vincant ac coquant, quàm pisces saxatiles.

XCIII. *Quamobrem iisdemmet cibis assumptis sæpenumero diuersi in ventre effectus sequuntur? an quoniam ijdemmet cibi, diuersis præditi sunt facultatibus, vt in lente, brassica, & marinis testaceis (ostracoderma Græci appellant) patere potest, quæ omnia ex pugnantibus facultatibus, substantijsque naturam sortita sunt? nam solidum eorum corpus, tardi meatus semper est, & ventrem constringit: succus verò illis permixtus, ad excretionem stimulat, quod ex ipsorum coctura manifestissimè apparet: nam aquam, in qua dictorum quodlibet fuit elixum, aluum diluere, ipsorum verò solidum corpus sistere, experiri est.*

XCIV. *Cur à cibo statim laborare nocentissimum existit? an quoniam venæ vacuæ succum non modò semicoctum, verùm etiam omnino rudem & crudum ventriculo præripiunt, quò corpus alatur: fitque vt grauissimis ex cruditate morbis, homines tandem corripiantur.*

XCV. *Quid est, quòd in regij morbi generatione (icteron Græci vocant) rigor non efficitur? materia enim biliosa per corpora sensibilia mota, rigorem facere deberet. An quòd non affatim violenterque, ac ità veloci motu per ipsa defertur materia, vt rigorem efficere possit, qui ex materia velociter mota per corpora sensibilia ortũ tantummodo habet? in morbi autem regij generatione, materia sensim per ipsa defertur.*

XCVI. Hinc patet etiam, cur sudor similiter rigorem non faciat, quum &, ipse dum ad cutem tendit, per sensilia corpora transitum habeat, & ipse quoquè materia sit acris, vt bilis ex qua rigor fit? non enim tali modo mouetur, vt rigorem inferre possit: licet etiam dici possit, hoc ideò rigorem ex sudore non fieri, quòd ipsi per assueta transitus sit: nec item adeò acris, mordaxue ipsius est qualitas, vt materiæ facientis rigorem.

XCVII. Cur stomachus præter naturam dispositus, contraria: naturaliter autem dispositus, similia sibi appetit? an quoniam hoc partibus omnibus natura insitum est, vt similibus gaudeant, à similibusque seruentur & nutriantur? Vnde, quum naturaliter dispositus est, ita seruari cupiens, similia appetit: quum autem præter naturam affectus est, contraria ideò appetit, vt sanetur, & ad statum proprium reuertatur: contraria enim contrariorum remedia sunt.

XCVIII. Cur ex frigore externo, calor insitus augetur, innaturalisque redditur, ex quo tandem febres fiunt? an propter meatuum corporis obstructionem, ob quam calor insitus difflari non valens, nec contemperari, acrior efficitur innaturalisque, ex quo tandem febres proueniunt?

XCIX. Cur animalia domestica, humidiora sunt, quàm syluestra & fera? an propter vitæ ipsorum ignauiam? an etiã, quòd in aëre degunt humidiore?

C. Sed cur domesticus aër, syluestri humidior est? an fortè ob id, quòd soli & vẽtis minus subijciatur?

Finis Libri Tertij.



ALOYSII TRISSINI

Problematum Medicinalium, ex Galeni ſententia.

LIBER QVARTVS.

I. CVR inflammatio ad partem corporis dolore affectam, ſemper ſubſequitur? an quòd natura excernere, atque expellere cauſam doloris, properans, ad partem dolentem, ſanguinem ac ſpiritum ipſum tranſmittit? his velut inſtrumentis vtens ad dolorem propellendum, quibus collectis in parte aliqua, inflammatio tumorue inde ſubſequitur.

II. Cur ad rigorem, quum & ipſe corporis dolor quidam ſit, inflammatio non ſequitur? an quòd, quum dolor hic in toto ſit corpore, natura non habet, quò ſpiritum & ſanguinem dimittat, ſed vbique in corpore ipſum permanere oportet, vt in toto

corpore

corpore existentem dolorem expellat? quare, quum ad partem nullam colligatur spiritus & sanguis, in parte etiam nulla fit inflammatio.

III. Quam ob causam partis eiusdem quandoque contingit motu seruato sensum deperdi, & aliquando sensu seruato motum aboleri? An in partibus duplici neruo præditis, vt oculus est & lingua? ratio manifesta iam est, quoniam in his ob læsionem vnius, vel alterius, nerui modò sensus, modò motus læditur: si enim motus nerui lædentur, motus etiam offendetur: sin verò sensus, clarum etiam est sensum lædi: verùm in partibus illis, quibus vnus, & idem neruus & sensum & motum suppetit. Sciendum est, quòd quum ijdem nerui dantes sensum & motum, ex se statim præbeant partibus suis sensum, motum autem per medios musculos ex ipsis conflatos, licet & hi sensuum causæ sint, si musculos ipsos lædi contingat, non magnopere tamen, motum illius partis tantummodo læsum iri, sensum verò seruari. Magna enim opus est virtute ad motum conficiendum, minori autem ad sensum præstandum: quare quum musculus læsus aliquam adhuc virtutem seruat, sensus seruatur, motus autem perit, vtpote hec magna indigente virtute, illo minore: ad patiendum enim vi minima opus est, non existente igitur motu in parte, sensum ipsius seruari sic contingit. Quòd autem sensus tollatur, & motus seruetur, sciendum est quòd, hoc prouenit non ex ratione musculi, sed ex cute parti adiacente, qua ad sensum ipsum opus est: cute enim læsa, contingit

tingit sensum partis lædi: quæ tamen pars, quum musculum valentem habuerit, motum seruabit.

IV. Cur vrinæ in ieiunio & fame mediocri, coloratę magis & flauæ apparent: in valdè autem longa ac vehementi fame, albæ & crudæ? an quoniam in fame mediocri, corpus totum redditur biliosum, quod ex innato calore ipsi prouenit: qui quũ non habeat in quod agat, in seipsum & partes iam & antè calefactas agens, corpus totum biliosius reddit (bilis enim ex auctiori prouenit caliditate) albę autem in valdè longa & vehementi fame apparent, & crudæ vrinæ, ob ipsius caloris debilitatem, qui in valdè longis inedijs tandem consumitur & deperditur, quum ipsi desit, quo reficiatur.

V. Quamobrem ad partem valdè calefactam sequitur inflammatio? an quoniam hoc proprium caloris est, vt attrahat? per attractionem igitur spirituum & humorum inflammatio fit.

VI. Quid est, quòd vulnera in quiete magis sanantur, quàm in motu, quum tamen contrarium sequi debere potius videatur? ob id scilicet, quòd motu exsiccantur, & quiete humectantur: at per exsiccationem magis sanantur vulnera, quàm per humectationem. An dicendum est, veram fortè futuram esse talem rationem, nisi aliud quid maius prohiberet? licet enim motus exsiccet, quum tamen & humores moueat, qui moti ad partem læsam affluentes, apti sunt inflammationem facere, aduersatur sanationi vulneris; imò & ex illo fluxu humidior

midior pars sit. An etiam lædit motus, quoniam ex ipso dolor aduenit ad quem statim etiam inflammatio sequitur? Item in motu ipso, quum partes vulneratæ simul cohærere nequeant, conglutinatione nunquam admittent, vnde nec sanabuntur: vna ergo licet ratione iuuare videatur motus, quum tamen tot modis lædat, efficitur vt à motu in vulneribus abstinendum sit, & quiescendum.

VII. Vtrum concoctio à motu ac exercitatione adiuuetur? an primò videtur, quòd non? nam motus expultricem virtutem adiuuat, & retentricem debilitat, vnde & alteratricem vel concoctricem debiliorem facit: concoctrix enim retentiua indiget: id nanque quod coqui debet, retineatur opus est: at quum motu retentrix exoluatur, videtur etiam quòd concoctrix debilior reddatur, non ergo à motu adiuuabitur. An potius aliter dicendum est, ac distinguendum? nam quum duplex sit exercitatio ac motus, vehemens scilicet, & mediocris: de vehementi & forti dicta, ratio valet: quoniam motus fortis cibum dissipans, expellit ipsum priusquàm coquatur: de moderato verò non valet, nam moderatus hoc facere non solet, imò ex ipso calor augetur, quo aucto, & coctio ipsa melius procedit: à moderato ergo motu, adiuuatur coctio.

VIII. Cur seminales partes, hoc est, quæ ex semine ortum habent, vt arteria, vena, os, chartilago, neruus, & similia, si corrumpantur, restitui & renasci nequeunt, vt restituuntur partes è sanguine ortum habentes? an quoniam istis materia gene-

rationis & restaurationis satis copiosè suppetit, illis verò non ita: harum enim sanguis, illarum semen nutritio existit.

IX. Cur fœtuum mares in dextris vteri partibus magis; fœminæ verò in sinistris generari solent? an partium caliditas & frigiditas in causa existit? nam quum dextra pars calidior sit, marem magis generat: sinistra autem quum frigidior, fœminam.

X. Quamobrem hepar vulgò, apud nos ficatum appellatur? an fortè inde inuentum hoc nomen est, quòd in animante mactationi destinato, multarum ficuum sagina hepar olim præparabatur? hanc autem potissimùm suibus ita pascendis operam antiqui impendebant; huiusmodique iecur ob ficuum nutritionem delicatius euadebat.

XI. Quam ob causam pharmacorum aliqua, vbi purgatione frustrantur, noxam non modò nullam corpori inferunt, verùm etiam quandoque ipsum nutriunt? an quòd pharmaca ipsa purgantia, quum familiaritatem quandam, ac similitudinem cum purgandis humoribus obtineant (neque enim alio pacto quàm similitudine & familiaritate purgant) in ipsos per concoctionem conuertuntur, corpusque ipsum concocta nutriunt?

XII. Quam ob causam magnes ferum attrahit? an propter familiaritatem, ac speciei similitudinem?

XIII. Quam ob causam purgationes, nimiæ, quæ superpurgationes dicuntur, euenire solent? an ob vasorum infirmitatem, osculorum laxitatem, ac

purgantis medicamenti mordacitatem? Purgans enim medicamentum, quum vsque adeo inualuerit, vt in vasorum ad ventrem pertinentium osculis mordicationem apertionemque multam relinquat, assidueque iritans conuellensque corpora, quæ in vasis sunt, vires dißoluat atque deijciat, horum causa est.

XIV. *Cur famem subſtinentibus saliua salſior amariorque redditur? an quòd bilioſum corpus totum in inedijs efficitur, bilisque amarior, ob acrimoniam innatæ caliditatis auctam?*

XV. *Cur mel ab immodico calore amarisſimum euadit, lac autem dulce magis à calore efficitur? an quum omnium dulcisſimum mel sit, quando plus iusto calefit, vel ob coctionem aliquam, vel ob ætatem, vel ob aliquam aliam causam calidam, nec quicquam ad summam ipſius dulcedinem addi posſit, in consequentem recidat qualitatem necesse est: in amaram scilicet, quæ ab immodico calore ortum habet? Lac autem quum non in summum, vt mel, dulce sit, quod reliquum est à calore ipso acquirit?*

XVI. *Cur lac modò ventrem subducere, modò ipsum cohibere videtur? an ob diuersarum ipſius partium naturam hoc euenit? nam cum lac tribus partibus constet, serosa scilicet parte, caseosa, & pingui, quòd butyrum dicitur: quando ipsum cum abundanti seri copia sumemus, etiam si iugiter ipso vsi fuerimus, cum hoc quòd nullius vnquam periculi est, ventrem etiam seri ipſius causa subdu-*

cet: quum verò ipsum magis caseosum, & quum minima ipsius seri parte sumpserimus, vltra quòd & hinc nobis nocuum euadet, quòd obstructionem pariet, & calculos gignet, & alias quàm plures nobis inferet noxas: aluum etiam ipsum, quod & sat magnum malum est, adstringet: nimirum igitur cum tam diuersis partibus constet, si modò cohibet, modò ventrem lenit.

XVII. Cur medicamentorum venenosorum (deleteria hæc vocant) aliqua nisi celeriter interimant, nullius effectus redduntur: aliqua verò quanto diutius in corpore permanent, tanto magis agere nata sunt? an quum deleteria ista duplici sint genere (nam hæc frigida sunt, quæ quantitate tantùm interimunt: illa verò calida, quæ & erodendo & putrefaciendo occidunt) si ea quæ frigiditate occidunt, assumpta sint, nisi quantitate statim occidant, euenit vt temporis spatio à corporis caliditate vincantur, vnde effectu suo frustrantur: illa verò quæ calida sunt, quæuè erosione & putrefactione interimunt, nisi bono aliquo fato contingat vt excernantur quandoque, quod de aliquibus tamen impossibile est, quanto diutius in corpore permanent, tanto magis lædunt, hacque raro fine suo frustrantur: & hæc verè deleteria sunt, & toto (vt aiunt) genere præter naturam.

XVIII. Sed cur ea quæ frigida sunt, & quantitate nocua medicamenta, quibusdam naturis officere nata sunt, quibusdam minimè? an ob ipsarum naturarum differentiam hoc euenit? illæ enim

quæ

quæ calidæ sunt, & rari habitus latorumque meatuum, semper ab his medicamentis patientur, noxamque accipient, vtpote corporum natura his facultatem agendi tribuente: nam & medicamentum quod acturum est in corpus aliquod, opus habet vt à corpore passuro principium alterationis accipiat: quod principium maximè à corpore calido medicamentum ex se frigidum & ferè ineptum, ad penetrationem recipere videtur. Corporis enim caliditas maximè hoc præstare potest, vt scilicet frigidum medicamentum facilè penetret agatque. In his igitur naturis semper venena hæc agere videntur, in alijs verò contrario modo se habentibus, in frigidis scilicet & densis, venena hæc non agunt, vt quæ prius vincantur à corpore, quàm ad cor penetrent: vt in sturnis apparet, qui à cicuta, quæ nos interimere nata est, non offenduntur, sed nutriuntur: non enim his medicamenta principium penetrationis aliquod accipiunt, vt in calidis naturis.

XIX. *Quid est, quòd vina minus valida, vere atque æstate mutantur acescuntque tamen in hyeme vires suas seruarunt? an quòd à superueniente calore debilis ipsorum caliditas corrumpitur. Simile enim quid, his vinis aduenit, quale flammis exiguis: nam si eas ad solem feruidum exponamus, aut prorsus obscurari aut denique extingui conspiciemus: quæ autem validiora vina sunt, non facilè ab huiusmodi alterationibus patiuntur. Omne enim in sua natura seruari videtur à pro-*

prio calore, corrumpi autem ab immoderato & extrinseco.

XX. Quid causæ est, quòd castrata animalia, imbecilliora redduntur? an quòd fœminis similia efficiuntur, vel quòd testibus, qui roboris origo sunt, priuantur?

XXI. Quid est, quòd ex coitu imbecilliores reddimur? an quoniam fraudamur semine? an etiam quòd voluptas vires dissoluit?

XXII. Quid est, quòd pueri amentiores imprudentioresque viris sunt? an (vt Plato docuit) ob corporis ac cerebri humiditatem hoc illis prouenit? Humiditatem enim, amentiæ causam tradidit Plato: siccitatem verò, prudentiæ, quod & ab Herracliti sectatoribus affirmari videtur, quum dicūt, Splendor siccus, mens prudentissima. Omnes igitur vt humidi, sic stultitiæ participes viuimus.

XXIII. Vtrum bruta penitus rationis expertia sint? an dicendum est, eam quæ iuxta vocem intelligitur rationem, bruta nobiscum communem non habere? & hanc enunciatiuam vocamus, ipsa autem illam habere rationem quæ secundum animam accipitur, quam rationem appellāt affectuum capacem, licet alia magis, alia minus hanc participare videantur.

XXIV. Vtrum ventriculus, reliquarum corporis partium prouidentiam aliquam habeat, vt apparet? nam & cæteris partibus nutrimentum præparat & tribuit. An dicendum est, quòd ventriculus cibos non hac ratione cōcoquit, vt eos alijs

mem-

membris aptos efficiat? nam purum naturale instrumentum est, & non vt animal intellectu & ratione agens: sed ideo hoc ipse agit, vt sibi proprium paret nutrimentum, quod per meras potentias agit naturales: aduenit verò vt ipse, quicquid ei superest, loco ponderis habens, expellat naturali potentia, tanquam superuacuum, transmittatque ad alias partes: & hoc pacto dicendum est, ipsum reliquis partibus nutrimentum præbere, & non vt animal intellectu præditum, prouidentia aliqua & certa ratione.

XXV. Cur febris, morbus communis dicitur? an quòd reliquis omnibus ægritudinibus communiter assideat: vel, quòd quum principalis membri passio sit, omnibus corporis partibus communiter noxam inferat?

XXVI. Propter quid ignis per ventilationem facilius accenditur? an ex eo quòd fumi ex ipsa ventilatione rarefiunt, & ideo facilius accenduntur & igniuntur? neque enim aliud videtur esse flamma, quàm fumus ardens: qui vt flamma vel ignis fiat, rarefactione indiget. An & quòd ventilatio in aëre frigido, sit causa quòd ignis contrarium fugiens concentretur, validiorque fiat, vnde & facilius accendatur.

XXVII. Propter quid motus modò calidorum morborum, modò frigidorum causa, à medicis assignatur: quum idem contrariorum causa simul esse non posse videatur? an de ipso distinguendo dicendum est, motum mediocrem, causam calidita-

tis esse? quum enim innatum calorem moueat augeatque, vt in his qui se excercent manifestum est, causa caliditatis efficitur: motum verò immodicum ac vehementissimum, frigiditatis: hic enim quum plus iusto corpus exagitet, innatum calorem dissipans, vnde & vires imbecilliores reddens, haud abs re frigiditatis corporis caussa esse videtur.

XXVIII. Propter quid item obstructio in causa & calidorum morborum & frigidorum ponitur? an quum ex meatuum obstructione calor innatus difflare & contemperari nequeat, ipse in vnum sese cogens primò fortior apparet efficiturque, & totum corpus plus iusto calefacit, affectuumque præter naturam calidorum causa efficitur? processu verò temporis quum magis perseueret obstructio, insitumque ipsum calorem tandem suffocans, vt flammam cucurbitula, sic frigiditatis causa redditur, morborumque frigidorum.

XXIX. Cur frigidum, sanguinem aliquando mouere, aliquando sistere dicitur? an frigidum immodicum, quum sanguinis vasa disrumpat, sanguinem mouet, & fluxum facit: modicum autem, quum naturaliter adstringat, ex apertione rarefactioneque fluentem sistit.

XXX. Cur rigores omnes ex posterioribus corporis partibus magis incohare solent, quā ex anterioribus? an quòd posteriores partes frigidiores anterioribus sunt?

XXXI. Sed quamobrem frigidiores partes sunt posteriores anterioribus? an quòd ex partibus

pluri-

pluribus constant frigidioribus, vtpotè ex neruis & ossibus, quæ quum exangues partes sint, frigidiora multò sunt sanguine præditis? accedit quòd & ipsa spinalis medulla in posterioribus partibus locata est, quæ ex se etiam frigida existens, frigidiores quoque partes illas reddit.

XXXII. Cur ad podagræ generationem sic magnam vim habere dicitur coitus? qui podagricis ita officit, vnde pueri ante vsum Venereorum podagra laborare non soleant? an quòd ex immodico coitu (de hoc enim dicitur) corpus totum imbecillius, vnde & pedes ipsi imbecilliores fiunt, quod maximè facit ad podagræ generationem, imò sine qua non generatur podagra? an etiam quòd in coitu humores commouentur, vnde facilius fluunt ad partes imbecillas? ex imbecillitate enim & humorum fluxu generantur podagræ. An & quòd in coitu multæ in corpore aceruantur humorum cruditates? His igitur omnibus ex causis, podagricis coitus officere natus est.

XXXIII. Propter quid mulieres non multum podagra laborant? an propter humorum menstruorum euacuationem? vnde ipsæ podagra laborare non solent, nisi menstrua defecerint: licet & propter delictorum magnitudinem in podagram etiam incurrere possint, menstruis ipsis non deficientibus.

XXXIV. Quam ab causam plerique etiam sine magno delicto in podagras incidere videntur? an quòd hi & patres & auos habuere podagricos, in quibus semen vitiatum erat, atque ideo natis vehemen-

hemen-

hementiorem fecerunt partium imbecillitatem?

XXXV. *Quamobrem fœmina dicitur mare imperfectior imprudentiorque? an quoniam minus abundat calore naturali? hic enim naturæ primum est instrumentum: in quibus igitur est parcior, in his opificium sit imperfectius necesse est: fœmina igitur tanto imperfectior est mare, quanto frigidior: eadem quoque imprudentior est, ob corporis temperaturæ humiditatem: vt enim dictum est, humiditas amentiæ causa est, vt siccitas prudentiæ.*

XXXVI. *Sed quam ob causam fœmina ita mare frigidior (vnde & imperfectior) à natura effecta est? an ob magnam quandam vtilitatem, ad commodam scilicet generis instaurationem? fœtus nanque quum ipse materiam postulet copiosam, non modò ad primam sui constitutionem, sed ad omne etiam deinceps incrementum, duorum alterum accidat, ipsi neceße est: aut, vt ipsius vtero gerentis alimentum rapiat, aut superuacuum accipiat: verùm rapere quidem alimentum, non erat melius, superuacuum verò aßumere non poterat, si fœmina fuißet calidissima: discuteret enim ipsum sic, & facilè exsiccaret. Frigidiorem igitur eam eò vsque fieri satius fuit, quoad alimentũ, quod coxißet ac confecisset, totum discutere non poßet: quod enim est frigidius, ne concoquere quidem potest: quod verò planè est calidum, vt concoquere, ita discutere validè potest: quod igitur non ita multum à calidissimo relinquitur, & coquere satis (vt quod non amplius est frigidum, & relinquere ali-*

quid

quid superuacuum, ceu quod non vehementer adeo sit calidum) potest. Hæc igitur est frigiditatis ipsius fœminæ vtilitas, quam mox sequuta est partium imperfectio.

XXXVII. *Cur in ægrotantibus quandoque partes extremæ frigescunt, & interiores maximè calidæ sunt, quod malum maximum est? an quòd internarum partium calor adeo vehemens est, vt ad se ex toto corpore sanguinem trahat, & calorem simul, quod maximè in viscerum inflammationibus euenire solet, & quod prauum signum existit, fieri etiam hoc solet & propter animi defectum, vel quia calor natiuus extinguitur, vel, quòd propter multitudinem suffocatur. An etiam fieri potest ob dolorem vehementem medias corporis partes occupantem, ob quem natura in se ipsam contrahitur, & ad eam consequitur sanguis, non solùm extremas corporis partes derelinquens, velut pedes, manus, & caput; sed & cutem vniuersam: quæ omnia quum fiant, mala in ægrotante signa existunt: magni etenim mali, internarum partium indicia sunt.*

XXXVIII. *Cur incrementis, & vigoribus accessionum febrium horrores rigoresque non permanent, sed in principio tantùm consistunt, in epiala autem febre permanent per totum accessionis tempus? an quoniam à multitudine caliditatis uperatur frigus? quum enim omnes humores calidi sunt & putrescunt, rigor deficit, at in epiala febre, in qua simul febris & rigor semper in quauis*

corporis parte permanet, non ita fit, vt à caliditate tollatur rigor: quoniam hic prouenit ex frigidissimo omnium humore, ex pituitæ scilicet illa specie vitrea ac acida, mota per sensibilia corpora, quæ à calore febrili superari nequit, in hisque moderata inest putredo.

XXXIX. *Cur anteriores corporis partes pilosiores sunt partibus posterioribus? an quòd ob anteriorum partium caliditatem cutis rarior existens transmittere pilos aptior est, & quòd ob caliditatem ipsam partes istæ maximè pilos facere natæ sunt, posteriores autem partes, quum & frigidiores, & ideo densiores sint nec generare, nec transmittere pilos ita aptæ existunt?*

XL. *Quam ob causam ebrij, quum loquuntur, balbutiunt? an quoniam ob vini copiam eis caput plus iusto redditur humidum, quò fit, vt linguæ musculi reddantur humidiores ac inde imbecilliores, qui postea minus articulatè verba proferunt? idem scilicet, quod in pueris euenit, quorum lingua ob humiditatem ac mollitiem adhuc debilis, minus rectè verba profert.*

XLI. *Cur medici post medicamenti potionem ægris protinus aliquid sorbendum propinant? an vt stomachum à læsione medicamentorum purgantium defendant, quæ corporibus, quæ expurgantur, contraria sunt, & stomacho maximè, vtpote qui ab his, vt sensu maxima præditus, facilè lædatur? ipsi enim non modò qualitas, sed etiam medicamenti substantia ipsa inhæret, vnde & maximè*

nocumentum ex eo accipere natus est.

X L I I. *Sed propter quid, vbi purgatio cœperit, ab propinatione alia omni abstinendum est? an, ne operatio purgantis medicamenti exoluatur?*

X L I I I. *Vtrum post purgationem statim sorbitio danda sit maior consueta, vel minor? an minor consueta semper danda est sorbitio? nam corporum, quæ expurgata sunt, facultas à purgatione agitata labefactataque tolerare maiorem illam alimoniam nequit, neque probè eam conficere: purgatis igitur tantum cremoris prima die exhibendum est, quantum æger domare possit, deinde paulatim sensimque adaugere oportet.*

X L I V. *Cur ciborum varietas nocentissima existit? an quòd natura ipsa varias substantias perficere & concoquere nequit? quum enim in vnum corpus similare redigi opus sit, quod coqui debet, difficile hoc fieri potest in diuersarum cibis substantiarum.*

X L V. *Cur hominum aliqui facilius, aliqui difficilius non aßuetam ciborum abstinentiam ferunt? an quòd hi biliosiores, illi pituitosiores existunt? quum enim pituita in illis apta sit coqui, & sanguis effici, nutrimentum pituitosis ipsis diutius præbet, vnde & diutius isti sine cibo permanere possunt: contrà autem in biliosis euenit, nam bilis nunquam in sanguinem redire apta est, imò in inedijs amarior redditur, nusquam nutrire corpus valens.*

X L V I. *Quamobrem deterius est à vasorum*

inanitione subitò ad magnam corporis plenitudinem transferri, quàm ex multà plenitudine ad vasorum inanitionem? an quoniam error deterior, & deterius nocumentum sequi ex hoc potest? virtutem enim ex inanitione iam debilem, cibi multitudine opprimere & grauare deterius est, quàm ipsam ob inanitionem imbecilliorem reddere: cibi enim copia grauata virtus citiùs certè occumbet, quàm ob indigentiam: diutius enim visum est, hominem sine cibo perdurasse, quàm prius inanitum, & cibi copia deinde grauatum, conualuisse aliquem.

XLVII. Quam ob causam mulieres minus hirsutæ viris existunt? an quoniam natura frigidiores sunt? an quòd excrementis pilos generare aptis, continuò expurgantur?

XLVIII. Quam ob causam mulieres caluæ non efficiuntur? an propter temperaturæ humiditatem? caluities enim siccam potius temperiem sequitur.

XLIX. Propter quid in morborū accessionum initijs medici vigilias maximè ægris præcipere solent? an vt ad exteriora spiritus, sanguinis ve atque caloris motio opponatur ei tanquam auxilium maximum, quæ fit in accessionum principijs sanguinis, spiritus, & caloris naturalis ad interiora retractioni?

L. Cur morbi, qui longo tempore iudicandi sunt, difficilius in ipsorum initijs cognosci possunt, quoniam finituri sunt, quàm morbi, qui breui iudicandi sunt,

sunt, qui facillimè à medicis cognoscuntur? rarò enim in istis contingit optimum medicum aberrare. An quum semper fiat iudicatio ipsa (iudicationem hic accipimus, tam bonam mutationem, quàm malam significantem) vel natura morbum superante, vel morbo naturam, in morbis breui finituris magnus vel naturæ vincentis, vel morbi excessus, in initijs apparet, quò facilè medicus cognoscit, quonam euasurus sit morbus: in ipsis autem longioribus morbis, excessus iste non ita apparet, vnde nec cognitio in his ita facilis existit, sed potius par quidam in his & morbi & naturæ excessus videtur, subsimilisque in principio: quò fit, vt sicut æqualibus inter se hostibus pugnantibus non facilè cognosci potest, quonam victoria verget: non ita promptè morborum diuturnorum finis prænosci possit, sicut acutorum, in quorum initio, quum maximè vel naturæ vel morbi vis appareat superare, inde facilius & finis ipse prænoscitur.

LI. Cur quum exquisitiùs rem aliquam inspicere homines volunt, oculum alterum claudunt? an quoniam oculo altero clauso visus acutior redditur, vtpote facultate, quæ in vtrosque anteà diuidebatur in alterum commeante?

LII. Cur humorum in corpore nostro consistentium aliqui dicuntur sicci, quum absurdum ac omnino repugnans videatur humorem siccum dici? an sciendum est, humores omnes actu humidos quidem esse, virtute verò ac potestate aliquos siccos existere non inconuenit?

LIII. Quamobrem cutis imbecillior cæteris partibus à natura formata est? an quum nullius actionis, sed vsus duntaxat gratia sit creata, non ab re ijs, quæ functiones perficiunt, partibus, facta est imbecillior? Patet autem eam imbecilliorem esse, ex eo quòd excrementa omnia aliarum partium ad ipsam transmittuntur: excrementa nanque à fortioribus semper partibus ad imbecilliores demittuntur.

LIV. Vtrum in curatione eorum, qui ex copia crudorum humorum cum stomachi offensione febricitant, inedia simul ac frictio rectè adhibeatur? an primò videtur, quòd nõ? nam quum fame (vt docet Hippocrates) simul laborandum non est, nec item sanguis mittendus est cum fame, nec ciendus vomitus, nec denique frictione aut forti aliquo motu vti debemus cum fame: in talibus enim motionibus, vt cibus defuturus est, vires dißoluuntur. An potius inconueniens non est in his, qui ita laborant, frictionem simul & inediam coniungere? nam quum in istis humorum crudorum copia abundet, facillimè inedia toleratur longa, nec inde ipsorum vires dißoluentur, corpore scilicet ex crudis ipsis, quos continet succis, concoquendis nutrito: quod in alijs dispositionibus non euenit? Hæc igitur recta sit horum curatio, quum nec validiorem isti ferre poßint ob stomachi affectionem.

LV. Quam ob causam frictio vberior somnum allicit? an ea ratione qua & labores & motus etiam somnum faciunt? ex his enim corpus defati-

fati-

fatigatum, quietem & somnum sponte optat.

LVI. Vtrum in accessionum initijs, semper ægrotis à cibis abstinendum sit? an perpetuò hoc verum non esse dicendum est? nam in aliquibus dispositionibus cibos dari necesse est, etiam in accessionum initijs: his enim quorum intemperies ad siccitatem & caliditatem maximè conuersa febres accendit, quibusue hecticæ febris periculum imminet, quorumue corpus rodentium excrementorum copia abundat, humidæ cibationis nutritio exhibenda est, vel ante accessionem ipsam, vel in ipsius initio: in nullo nanque huiuscemodi affectu, vtpote cui inedia aduersissima sit, febriumque paratissima causa, finitur commodè accessio, priusquàm humectantis cibi portio aliqua ægrotis exhibeatur.

LVII. Propter quid in anginæ curatione quum venam secamus, non affatim vna sectione vniuersum quem volumus sanguinem fluere sinimus, sed ipsum vicibus interpositis pluribus euacuamus? an hoc ideo facimus, ne superpræhendente animi deliquio, quod ex magna fluentis sanguinis copia sæpe prouenit, æger suffocetur.

LVIII. Propter quid sanos ægrotaturos, tunc si purgare tentaris, ipsos exolui & contabescere cernes, multasque inde molestias pati? an quòd medicamentum humorem sibi similem & obnoxium ducere cupiens, ipsumque non reperiens, sanguinem & carnes colliquat, vt ex eis quod suum est, eliciat? quod de sanis egrotaturis nisi vacua-

ti fuerint, deque actu iam ægrotantibus euenire non solet: ob id quod pharmacum, quod educere valeat, inuenit.

LIX. Quænam in vrinis pars melioris bonitatis indicium præbere nata est? an dicendum est, vrinarum hypostasis bonas primum locum in bonitate obtinere, secundum autem suspensa vel sublimamenta, tertium verò nebulas bonas?

LX. Vtrum deterius malum sit, rationem victus ordinare in morbo talem, perinde ac si diutius duraturus sit morbus, qui tamen breui finiatur? an talem ordinare, ac si breui finiri debeat, & pòst diutius perduret? an dicendum est, rationem victus ordinatam, ac si morbus diuturnus futurus sit, & qui breui finiatur, maiorem errorem sequi, quàm si instituatur victus ratio, prout breui duraturus morbus sit, & longiùs pòst perduret? minus enim in hoc malum existit: potest enim rationabilius adaugeri victus, quàm impletum corpus ex eo diminui: vnde victus ratio potius minuenda est, quàm augenda.

LXI. Vtrum respirationis & pulsus hic vsus sit, vel non idem, vt nonnullis placitum est? an sciendum est, eundemmet vsum omnino esse & pulsus & respirationis? Respirationis etenim vsus quum duplex sit, alter scilicet insiti caloris custodia, alter animalis spiritus nutritio, hic idem certè & pulsus ipsius esse vsus apparet.

LXII. Quænam febrium prorogationis causæ esse solent? an ob curationis affectæ partis diffi-

culta-

cultatem febres prorogantur ? prorogantur etiam ex parte crassorum crudorumque humorum. An etiam ob extrinsecus aliquod erratum, hoc prouenire solet ?

LXIII. *Quid est, quòd plerique senectutis metas ingressi delirant, quum hæc ætas omnium maximè sicca esse prædicetur, siccitatemque prudentia potissimum sequatur ? an non ob siccitatem id euenire dicendum est, sed ob frigiditatem potius, quæ omnibus animi & naturæ munijs aduesfatur ?*

LXIV. *Cur musculum ipsum, sensus instrumentum eße non dicimus, sed motus duntaxat, quum planè vtriusque particeps existat ? an quia motus nullus vtique fieri posset animalibus voluntarius absque musculis, quia proprium ipsius instrumentum musculus est ? sensus autem inest omnibus sensilibus particulis, etiam sine musculis: quæcunque enim ipsarum particeps sit, nerui ea omnino sentit.*

LXV. *Cur in ebrietatibus, frenesi, ac timoribus, & omnino in vehementioribus animæ passionibus, homines nullius eorum quæ egerint in posterum meminerunt ? an huiusce rei causa est, quòd non intenti tota mente actionibus fuerunt ? quum itaque obscurè ac confusè segniterque rerum impressiones in imaginationibus acceperint, eas non tenent, nec conseruant: hinc igitur obliuio oritur.*

LXVI. *Quid est, quòd sudores in febribus superuenientes, nunc bonum, nunc prauum aliquod ostentant ? an quum in diebus iudicatorijs superueniunt, sicut reliqua iudicatoria signa in diebus iudicatorijs*

apparentia, bonum significant: ita sudores bonum denunciant, vtpote morbum soluentes? quum verò non in talibus diebus superueniunt, malum significant: non enim morbum soluunt, sed ipsum potius prorogari significant: multæ etenim humiditatis signa existunt, quæ vt concoquatur, longiori indiget tempore.

LXVII. Cur in febribus ardentibus voces clangosas fieri contingit? an quia partes quæ tum ad pharinga, tum ad asperam arteriam, vocis instrumenta pertinent, vehementer exsiccantur?

LXVIII. Cur lac sæpenumerò simul atque sumptum fuerit aliquibus acescit, aliquibus autem in nidorem vertitur? an quòd illis ventriculus frigidior est, istis calidior?

LXIX. Cur omnium figurarum rotunda minimùm est passionibus obnoxia? an quòd nullam habet extantem eminentiam, quæ à foris occursantibus frangi queat?

LXX. Cur vniuersum carnis generatio vtilis extitit? an vt esset propugnaculum ac munimentum aduersus æstus: aduersum frigora, & lapsus, instar pileorum densorum, quippe quæ corporibus molliter leniterque cedat?

LXXI. Cur calidam caro inter se humiditatem continet? an idcircò vt æstate resudans & humectans extrinsecus refrigerium toti corpori proprium familiareque affundat: hyeme verò contrà, suo ipsius calore extrinsecus illatam & circundantem nos, frigiditatem moderatè arceat.

LXXII.

LXXII. *Quid est, quòd conuulsio morbum sequens acutissima atque perniciosissima esse solet, quæ verò præcedit, non ita? an quoniam conuulsio ex siccitate proueniens: talis enim est, quæ ex morbo fit, longum exigit tempus ad curationem, quod morbi acuties nō expectat, quin citò vires dissoluit, & subito exitium affert: quæ verò præcedit, & ab initio ex se inuadit, vt quæ ex repletione partium neruosarum, quæ ex humoribus frigidis ac glutinosis, ex quibus etiam nutriuntur, repleri solent, generationem habet, facilius sanatur: promptius enim est humiditatem illam coquere ac expellere, quàm partium siccitatem amouere: quò fit etiam, vt conuulsioni febris superueniens, ipsam soluat: vtpote humiditatem coquens ac dissoluens, ex qua scilicet orta est conuulsio: illa autem quæ post febrem fit, lethalis existit.*

LXXIII. *Quamobrem balneum & calefacere & refrigerare simul potest? nihil enim inueniri dicitur, quòd valido æstu occupatos præsentius refrigerare, aut magna frigiditate affectos promptiùs calefacere quàm balneum possit. An quum natura humidum sit & moderatè calidum, humiditate quidem natam ex caliditate siccitatem irrigat, caliditate verò exortam ex gelu frigiditatem persanat? an & ob id balneū refrigerare dici potest, quòd calida aqua sæpenumerò refrigerare visa est, excalfacientem scilicet humorem digerendo, vt frigida quandoque calorem reuocare, cutem refrigerando contrahendoque ac condensando: ad id enim*

caloris conſequitur reuocatio.

LXXIV. Cur magis quandoque ſtando laboramus ac defatigamur, quàm deambnlando? an quoniam crurum muſculi extendentes (his enim ſtandi munus demandatum eſt) diuturnum illum ſtatum, ac ſummam illam extenſionem, diù tolerare, nequeunt, totius corporis molem geſtando? quando verò deambulamus, quum & flectentes & extendentes ſimul, ac omnes vndequaque crura mouentes muſculi alternis laborent, ac ex æquo onus inter ſeſe partiantur, efficitur, vt minus defatigemur.

LXXV. Cur in renum & hepatis inflammatione dolorem interdum grauem, interdum acutum ſentiri contingit? an quum renum pars carnoſa patitur inflammationem, dolor efficitur grauis, qui velut cuiuſdam ponderis loco incumbentis ſenſum inuehit? quum verò aliæ partes quæ ſunt in renibus, vt partes quæ ſunt in tunica ipſos obtegente, & venter eius interior, & quæ ad hunc terminantur arteriæ & venæ, ac præterea ortus vaſorum vrinariorum patiuntur, dolor ſemper ſentitur acutus. Sic præterea ſe habet res in hepate, nam eius parte carnoſa iaflammationem patiente, grauis fit dolor: tunicà verò circumducta vel vaſis acutus, cuius etiã acuti doloris quantitas maior aut minor, cauſæ ipſumfacientis afferre indicium ſolet.

LXXVI. Cur in vulneribus pilorum circumiacentium partium fluxus, & cutis ſquamulæ prauitatem oſtendunt? an quoniam denotant prauos humores ad partem confluere, qui vlcus erodunt, ad ci-

eatricemque ipsum peruenire non permittunt?

LXXVII. Cur in morbis omnibus longis, inappetentiæ malum portendunt? an quoniam euasuris ex his morbis contrarius semper affectus solet accidere, vel quoniam casus hic superueniens mortem quandam ipsi ventriculo aduenisse significat, in quo opus ad vitam maximè necessarium, appetentia scilicet, interijt?

LXXVIII. Cur tubercula quæ magis in latum distenduntur, minorem semper pruriginem inferũt? an quoniam distenta magis difflantur? an & quoniam humores ipsa facientes, minus acres existunt?

LXXIX. Vtrum singultum omnem sanet sternutatio? an dicendum est, singultum tantummodo qui ex plenitudine fit, à sternutamento sanari, vt qui à violento sternutamenti motu adiuuetur? hoc enim concutiuntur euacuanturque causæ ipsum facientes: singultus verò qui ex inanitione fiunt, qui tamen rariores sunt, à sternutamento non sanantur.

LXXX. Cur si quis piper deglutierit, & postea vinum aqua calida temperatum biberit, statim singultu capietur? an quoniam piper, quod admodum acuta res est, calore potus ad inferiora deucitur, eiusque acutie ventriculum molestat, quò fit, vt ventriculus conetur motu hoc violento, qui singultus dicitur, rem ipsum infestantem expellere?

LXXXI. Vtrum morbis morbos alios superuenire, prauum semper existat, vel etiam multoties bonum? an sciendum est, quòd si de verè proprieque à veteribus appellatis superuenientibus loquamur,

mur, quæ scilicet prioris adauctæ passionis ratione proueniunt, quòd semper hæc mala sunt? Si autem communius accipiatur nomen hoc superueniens, de quocumque scilicet, quacunque ratione superueniente, non semper, imò & multa huiusce generis bona sunt, morbosque priores tollunt: vt patet de febre superueniēte dolori circa illū existenti, alsque inflammatione, quæ ipsum soluit, & de difficultate intestinorum & mentis alienatione, quæ furorem tollunt, & denique de quàm plurimis frigidis morbis, quos febris superueniens soluit. De illis igitur tantummodò passionibus, quæ ex prauitate prioris morbi superueniunt, securè pronunciandum venit, quòd mala in vniuersum sint: de alijs verò quæ alia de causa contingunt, non semper, quum quàm plurimæ harum morbos soluere, inuentæ sint.

LXXXII. Cur nullus vnquam podagricus visus est pati conuulsionem? quæ frequenter solet in neruosarum partium inflammationibus aduenire, quum & ipsos partium istarum inflammatio fatiget? an quoniam neruosorum omnium ligamenta tantum ipsis inflammari extendique contingit? reliqua verò neruosa, vt tendones neruique proprij non inflammantur, sed tantùm dolent, vt quæ cum ligamentis simul patiuntur.

LXXXIII. Cur singultus, qui per vomitionem non cessat, malum significat? an quoniam vel cerebrum, neruorum principium, vel ventriculum, pati non mediocrem imflammationem ostendit?

LXXXIV. Cur furor vehemens, furori medio-

eri superueniens, ipsum, cuius quispiam potius diceret esse incrementum, soluit? an ex vehementi motu causarum efficientium furorem, solutionem subsequi arbitrandum est? eo quidem pacto, quo in morbis acutis quandoque visum est vehementissimos casus bonas crises operari.

LXXXV. Cur puri humoris, siue biliosi, siue melancholici, siue porri colorem præ se ferentis, siue æruginosæ bilis deiectio, in morbis, pro malo habetur? an quòd huiuscemodi pura deiectio exustam esse omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonstrat?

LXXXVI. Cur tabidorum humida deiectio, & capillorum defluuium, extremitatem morbi significant? an quoniam alterum siccitatem summam, alterum extremam debilitatē denunciat?

LXXXVII. Cur vigiliarum conuulsiones inter pessimas habentur? an quoniam ex earum numero sunt, quæ ex siccitate fiunt? vigiliæ enim, maximè & euacuant, & exsiccant.

LXXXVIII. Cur quum spiritus flatuosus vnà cum vrinis excernitur, morbi longitudo significatur? an quoniam hoc signum est frigidæ renum ægritudinis? frigidum enim omne, est difficulter solubile, & vix coctionem admittit.

LXXXIX. Cur siue vrina, siue, alui excrementum pingue exierit, vbi esus alicuius rei pinguis non præcesserit, semper malum significatur? an quoniam hoc colliquationem adipis totius corporis ab igneo calore fieri ostendit?

XC. *Cur adenes omnibus corporis partibus promptiores sunt ad humorum recrementa recipienda? an ob substantiæ laxitatem hoc illis euenit? an etiam quia omnium partium minimè robustas habent naturales virtutes?*

XCI. *Cur morbus lateralis, πλευρῖτις à Græcis nuncupatus, ut plurimum ex biliosis humoribus ortum habet, rarò autem ex pituitosis, quibus pulmo magis afficitur? an quòd non æquè membranæ ac pulmo natura aptæ sunt quoslibet humores suscipere? densa siquidem est membranarum substantia, pulmo verò parte omni rarus ac laxus: quare non mirum, si huic promptum est humores omnes suscipere, membranæ autem subcingenti (est enim morbus lateralis, inflammatio membranæ, quæ sub cingens nominatur adueniens) plus biliosos.*

XCII. *Cur vberior somnus salutaris non est, laborantibus ex humorum cruditate, cum stomachi offensione? an quòd nec crudos succos per halitum digeri sinit, & viscera grauiora reddit, at modicum somnum vt & vigilias modicas, ex omnibus hæc maximè affectio optat? quippe & coctione quæ per somnum fit, & digestione quæ per vigilias, maximè huic opus est.*

XCIII. *Cur medicamenta adstringentia & amara simul qualitate prædita, cuiusmodi absynthium est, præstantius adstringunt, quàm quæ solùm adstringentia sunt? an quòd amara qualitas, adstringenti viam facit?*

XCIV. *Cur ventriculus & iecur impensius quàm*

cæteræ partes adstringentia desiderant? an quòd & è primoribus admodum eæ partes sunt, & munus suum obeant vel in ipsis morbis, est necesse, quare vtriusque horum robori attendendum maximè est; si enim per imbecillitatem parum rectè concoquitur, non modò assumpti cibi nulla est vtilitas, sed etiam ventre nō rarò ex eius corruptela lacessito, expellitur quoque aliquid prioris: ita fit, vt duplex iam noxa toti corpori accedat, quum nec ex assumpto cibo nutriatur, & aliquid ex eo, quod sibi reposuerat, amittat: huc accedit quòd & ciborum concoctio, siue ea in iocinore, siue in ventriculo sit improspera, febres intendit, ac succi vitio exacerbat, quò magis in omni febre ciborum concoctioni prospicere magnopere oportet: atque eius rei causa, roboris quoque instrumentorum, quibus perficitur, non leuis habenda est cura.

XCV Cur in principijs fluxionum, reprimentia simulque adstringentia, idonea maximè sunt? an quòd robur affectis particulis inferunt? roborant enim adstringentia, vnde minus promptè affluxum excrementorum in se recipiunt. An etiam quòd eorum, quæ in his iam contenta sunt, tenuissimum, retrorsum exprimunt?

XCVI. Cur difficile adeò est inuenisse auxilium aliquod, quod citra vllam noxam magnificè prosit? an id accidit, ex complexione ortorum in corpore præter naturam affectuum, vnà cum præcedentibus eos causis & sequentibus symptomatis?

XCVII. Cur omnes musculi in tendonem non desinunt?

desinunt? an quoniam omnes mouere oßa non habent? musculi enim illi omnes tendonibus carent, à quibus os non mouetur.

XCVIII. Cur odorata omnia calida sunt? an quià odorabilium vaporosa est substantia? at vaporum copia, à calore prouenit.

XCIX. Cur in odoratis nihil euidens de temperatura iudicari potest? tutum enim non est de tota medicamentorum facultate ex odore conijcere. An in causa est, inæqualitas substantiæ? corpora enim pleraque dissimilari substantia eße, iam compertum est.

C. Cur mulieres viris pinguiores sunt? an quoniam frigidiores natura existunt, plurimumque in ocio versantur? pinguedo enim potissimùm in frigidioribus oritur naturis.

CI. Sed quænam pinguedinis generatio est? an ex eo quòd in sanguine leue, tenue, & pingue est? nam id quod in calidioribus corporibus alimentum efficitur, in frigidioribus seruatur: nam quum id venæ extra se transmiserint, vbi in frigidas particulas incidit, quòd genus membranæ sunt, in his concrescit, adepsque vel pinguedo fit, quod in partibus calidioribus à calore ipso absumitur ac digeritur.

Finis Libri Quarti.

ALOYSII



ALOYSII TRISSINI

Problematum Medicinalium, ex Galeni ſententia.

LIBER QVINTVS.

I.



TRVM morborum cauſæ ad Deos referri poſſint, vt nonnullis placitum eſt, qui ob Deorum iras hominibus morbos accidere exiſtimarunt: ob idque Hippocratē dixiſſe volunt, Et ſi quid in morbis diuinum habetur, illius quoque addiſcere prouidentiam? An dicendum eſt vanuum eſſe, quòd Dij ipſi mortalibus morbos mittant, vt iſti aſſeruere, volentes etiam ob id morbum comitialē, nonnulloſque alios, diuinos appellari, quòd à Dijs mittātur? Imò ex ſuis cauſis & hunc & alios omnes prouenire fatendum eſt; nec ob id Hippocratem dixiſſe arbitrari oportet, Et ſi quid in morbis diuin. &c. Sed hoc Hippocratis, potius ad am-

ad ambientis nes aëris conditionem referri debet, quà de multis in locis scripsit, sicque locus ille intelligi debet.

II. Quid causæ est, quòd nasus in summa parte gracilis admodum (compressum appellant medici) in morbis acutis apparens, mortem portendit, vt & reliquarum similium partium extenuatio? an quòd causam consumentem & corrumpentem partes animalium carnosas, aut debilitatem insiti caloris, extendi se in extremas corporis partes nequeuntis ostendũt? quem affectum comitatur, vt non prætereà afluat ad extremas corporis partes tantum sanguinis aut spiritus, quantum antea per naturam affluere solebat, vnde hæ partes prius alebantur: quò fit, vt oculi caui, & tempora adstricta, & cutis frontis dura ac contracta, idem portentent.

III. Sed cur temporibus solis, inter reliquas capitis partes hoc potissimùm contingit, quòd scilicet maximè adstringantur extenuẽturque? an quoniam hæc sola pars musculos habet, reliquum verò caput omne prorsus carne vacat?

IV. Quid est, quòd caloris mutatio, quoties ad viride vel nigrum vertitur, pessima in morbis existit? an quum ob sanguinem refrigeratum hoc accidat, ideo maximum in morbo malum ostenditur?

V. Quid est, quòd supradicta signa in morbis acutis periculosiora apparent, quàm in morbis longis? & inter initia magis, quàm temporis processu? an quoniam nullam à tempore tunc occasionem habent, sed ex morbi vehementia tantùm

consi-

consistunt? longo enim interposito tempore consumi corpus, & item refrigerari partes extremas, haudquaquam mirabile existit.

VI. Quid est, quòd oculi lucem auersantes & sponte lachrymantes in morbis, signum exitiosum esse solet, quum alias passio hæc exitium non indicet? an quòd naturæ debilitatem ostendunt? quum enim hæc, aut propter opificiorum affectionem aliquam, vt in lippitudinibus, aut fluxionem eueniunt, exitialia non sunt, Sed tunc tantummodò & hoc in his morbis fit, quum ob debilitatem visoriæ atque detentoriæ facultatis eueniunt.

VII. Cur oculorum peruersio interdum lætalis admodum nota est, interdum verò minimè? an quum oculorum peruersio, quæ conuulsis ipsorum musculis efficitur, ob ipsorum tantummodò affectionem prouenit, minimè malum indicat, quum verò ob principij neruorum (hoc est cerebri) dispositionem prouenit, summè exitiosum est.

VIII. Cur in his morbis oculum oculo minorem reddi, lætale est? an quoniam hoc indicium est extinctionis facultatis ipsos regentis?

IX. Cur album oculi in morbo rubrum fieri, exitiosum est? an quoniam copia quæ in cerebro aut membranulis fatigat, ostenditur? an & quoniam interdum inflammatio ibi consistens significatur? vnde etiam quum ipsorum venulæ aut liuidæ aut nigræ apparent, exitiale est, quòd frigiditatem extinguentem indicant.

X. Cur pituita in morbo adnascens, in oculorum

angu-

angulis, mortalis eſt? an quòd regentis oculum facultatis imbecillitatem denotat, quæ impos eſt alimentum oculorum concoquere? pituita enim, excrementum ſemicocti alimenti eſt.

X I. *Cur oculos tumidos fieri in morbo, lætale eſt? an quoniam nimiæ plenitudinis copia ſignificatur?*

X I I. *Propter quid in ſomnis oculorum album ſubapparens commiſſis palbebris, quoties ſine cauſa exteriore euenit, exitiale eſt? an quoniam hoc imbecillitatem mouentis palpebras facultatis oſtendit?*

X I I I. *Propter quid palpebræ peruerſio, aut labri, aut naſi, mortem ſignificat? an quoniam tentio conuulſifica quædam ſignificatur, vel in aliquo muſculorum reſolutio?*

X I V. *Quid eſt, quòd ægrum cubare in latus, melius eſt quàm alio quolibet modo? imò quum in latus æger cubare nequit, exitioſum eſt, quoties tamen ob conſuetudinem id non ſit. An quoniam cubatio in latus, robur indicat facultatis per muſculos firmantis corpus, ſicut rurſus debilitas oſtenditur, vbi cubare æger in latus non queat, ſed potius ſic reſolutio quædam denotatur? quod in cadaueribus manifeſtum eſt, quæ ſi alterum colloces latus, prorſus aut in partem pronam aut ſupinam conuertuntur, veluti ſi illa accliuè figures, in pedes delabuntur. Meritò igitur prauum indicium hoc, quòd quidem extinctionem quandam ſignificet, regentis corpus facultatis.*

XV. Propter quid ægrum hianti ore dormire, exitiosum est? an quoniam debilitatis hoc signum est, claudentium os musculorum?

XVI. Cur ægrum stridere dentibus, quod ei in consuetudine non sit, in febribus insaniam ac mortem significat? an quum in stridore dentium, musculi conuulsionis modò commoueantur, passioque cerebri conuulsifica ostendatur, fit vt meritò accidens istud insaniam aut mortem significet? Insaniam, quasi mentis ipsius vehementem commotionem: mortem vero, quia neruorũ origo affecta est.

XVII. Cur manuum gesticulationes in morbis, malum exitialeque indicium esse solent? an quum hæ ob imaginationem fiant, similem illi quæ per suffusiones contingit, capitisque ideò affectionem maximam ostendent, fit, vt iure vniuersum hoc signorum genus exitiale habeatur.

XVIII. Quid est, quòd spiratio ex naso & ore frigida, exitialis admodum nota in morbis existit? an quum spiratio hæc rara paruaque sit, extinctionemque natiui caloris indicet, ideo meritò exitialis extat?

XIX. Quid est, quòd in morbis diutinis, spirationis facilitas, quæ naturalis spiratio est, non ita magnam ad salutem vim habet sicut in acutis morbis? an quum in diutinis morbis longitudine temporis vires exoluantur, ideò etiam præsente spirationis facilitate non ita securæ salutis spes existit, vt in acutis? In quibus quum facilis spiratio denotet neque thoracem, neque cor, neque pul

monem, neque præcordia affectionem dolorificam aliquam pati, neq; hac caloris copia infestari, aut deuri inflammarique, non sine ratione dicendum est, in his magnam spirationis facilitatem, spem ad salutem habere: quum nec hi, vt diutini, temporis longitudine robur exoluant.

XX. *Quid est, quòd oculorum crebra motio instabilitasque in morbis, delirium ac insaniam futuram indicat? an quoniam oculorum musculi maximè & primò sentire cerebri affectiones nati sunt? existens igitur in cerebro dispositio aliqua, maximè hac ratione ab oculis indicatur.*

XXI. *Quamobrem inflammatio iliorum, si in parte dextra consistat, periculosior est quàm si in sinistra? an ob iecur periculosior est inflammatio in hac parte? minus verò periculosa in sinistra est, propter lienem: exitiosissima verò est, si in vtraque parte lacesset.*

XXII. *Quamobrem iliorum inflammatio interdum mortis indicium existit, interdum minimè? an quum intrinsecus aliquid afficitur, vt iecur, lien, & ventriculus, vel aliud, quid intimum, mortale est? si verò musculi tantùm in ilijs inflammatione laborent, mors non adueniet nisi rarò, vel ob magnum aliquem excessum.*

XXIII. *Quamobrem tumor in ilijs consistens, magis citiusque suppuratur, quàm qui subter vmbilicum extat? an ob id in ilijs magis tumor suppuratur, in abscessumque vertitur, quòd is locus calidior existit? qui verò longius abst, deorsum ver*

sus,

ſus, ob eam rem quòd non ita locus ille prǽditus calore ſit, minus raroque in pus tumor vertitur.

XXIV. Quamobrem ſupperatio quæ foras vertitur, parua & in mucronem reſurgens, indulgentior meliorque exiſtit magna, lata, & in mucronem minimè tendente? an quoniam illa, robur foras expellentis facultatis indicat, ac item non magnã corporis quod erodit partem, corrumpit? hæc verò & imbecillitatem expellentis facultatis oſtendit, & ampliorem corporis ſedem rodit, meritò igitur peior hæc eſt.

XXV. Quid eſt, quòd in aqua intercutem, quum in ſpiriritalibus inſtrumentis affectio non ſit, tuſſiendi cupiditas quandoque infeſtat? an quoniam iecoris moles (hoc enim affecto, fieri certum eſt aquam intercutem) inciden præcordijs, anguſtiam in pulmone facit?

XXVI. Quamobrem pedes primi in omni aqua intercutem (omni enim commune hoc eſt) tumeſcere maximè ſolent? an quòd hi procul à calidiſſimis abſunt partibus?

XXVII. Cur in morbis partium corporis, grauitas periculoſa admodum exiſtit? an quoniam partium grauitas maximum indicium præcipuumque debilitatis eius facultatis eſt, quæ in muſculis ac neruis conſiſtit.

XXVIII. Cur digiti ac pedes in morbis omnino nigreſcentes, interdum nullo pacto, interdum ſummè peſtiferi habentur? an ſi nigreſcunt, ob id quòd materia eò decumbat, periculum mortis nul-

lum imminet? Si verò tales sint, non ob materiam fluentem, periculosum ac exitiale omnino indicium est? tūc enim morientis iam facultatis signa existunt: differentiæ verò huius cognitio hæc esse potest, quum enim partes nigrescunt ob materiam fluentem, signa alia exitialia apparere non solent, imò æger facile morbum fert, & cum signis salutaribus existit: si verò sine his nigrescunt, non ob materiam fit, & tunc exitiosum est.

XXIX. *Cur insomnia in morbo, delirium significant? an quoniam sicciorem cerebri intemperiem ostendit, ex qua potissimùm delirium oritur?*

XXX. *Quid est, quòd vrina, ac vrinæ sedimentum subrubrum apparens morbum paulò diuturniorem, sed sine periculo fore significat? an quoniam hoc integerrimi humoris, sanguinis scilicet exuperantiam ostendit? fit enim huiusmodi vrina quoties sanguinis serum pariter cum vrina excernitur, sed quià sanguinis nota est, non exquisitè concocti, ideò diuturnior morbus significatur.*

XXXI. *Vtrum nigredo frigiditatis excedentis indicium tantùm sit, an exuperantis etiam caliditatis? an dicendum est, vtriusque certè nigredinem indicium esse? ab vtroque enim hanc prouenire certum est, etenim ob vehementem frigiditatem sanguinem ipsum congestis globulis nigrescere videmus, & item quicquid extinguitur, quod summè frigidum redditur, nigrum efficitur: quòd autem ob caloris vehementiam nigredo etiam oriatur, patet ex ipso etiam sanguine, qui si crematur,*

tur, nigredinem maximam acquirit: ex his etiam patet, qui diutius in sole versantur, qui admodum nigri fiunt.

XXXII. *Quid est, quòd vrina naturalis, colore modicè crocea esse debet? an quoniam ex humore concocto consistit, qui flauæ bilis parum recipit?*

XXXIII. *Cur vrina aquosa, exitialis in morbis existit? an quoniam debilitatem concoctricis facultatis ostendit? humorum enim, hæc cruditatis maximum indicium est.*

XXXIV. *Vtrum vrinæ crassitudo semper exitiosa sit? an dici debet, vrinam quò crassior fuerit, eò deteriorem haberi, potissimùm quum naturalem colorem non seruat? si verò colorem habeat naturalem, euentum duplicem ipsam habere compertum est, interdum scilicet ad mortem, interdum verò ad sanitatem, & hoc scilicet quum per illam corpus repurgatur.*

XXXV. *Sed cur vrinarum, perturbatæ maximè, indicia dolorum capitis esse solent? an (quum tales fiant materia crassa ac densa à calore agitata) non mirum, si necessariò dolores capitis significantur, quoniam calor ac flatuosus spiritus ad caput promptissimè fertur?*

XXXVI. *Cur quæ perturbatæ diù manent vrinæ, nec resident, vel morbi longitudinem, vel ægri mortem prænuntiant? an si vires valentes in ægrotante affuerint, longum fore morbum ostendunt: si imbecillitas adsit, ægri mortem denuntiant.*

XXXVII. *Cur in pueris vrinæ aquosæ maximè omnium exitiosissimæ sunt? an quoniam hæ maximè naturæ puerorum contrariæ sunt? quæ enim maximè naturæ contraria sunt, exitiosissima habentur: per naturam etenim pueris inest, vrinam emittere corpulentam, ac sedimis copiam habentem. An etiam quòd in pueris omnia ocyssimè concoquuntur, præ robore scilicet facultatis alterantis? at concoctio crassiorem reddit vrinam, sicut & deiectionem omnem: si ergo vrina in pueris aquosa manere videatur, exitiosissimum est, vt quæ alterantem facultatem aboleri ostendat.*

XXXVIII. *Sed cur in ætate consistentibus vrina hæc aquosa non ita exitiosa est, sed nigra illis potius exitiosissima est? an quoniam non ita contraria est huic naturæ vel ætati, quæ magis per naturam tenuè mingit?*

XXXIX. *Cur vrina tenuis crudaque diutius exiens cum reliquis signis salubribus, morbum per absceßum finiri debere significat? an quoniam huiuscemodi vrina morbum crudum eße ostendit, cuius naturæ eße solet? vtpote qui crassiore frigidioreque humore consistat, vt per absceßum iudicetur, vt is qui calidiore tenuioreque constat humore, per excretionem.*

XL. *Cur absceßus in morbis interdum per superiores partes, interdum per infernas erumpunt? an absceßus in his qui admodum diuturni sunt, ob frigiditatem craßitudinemque materiæ, ac virium spatio temporis languentium debilitatem ad infernas*

ſternas ſedes erumpunt, in acutioribus verò morbis per ſuperiores? etenim per eos craſſi minus humores exiſtunt, & item copia caloris ac valentior facultas ineſt.

XLI. Cur ſyncera bilis & pituitæ deiectio pro malo habetur? an quòd hæc caloris copiam, illa frigiditatem maximam ineſſe indicat? ſyncerus etenim humor craſſior, redditur pituitoſus, propter frigiditatem quaſi concretus: bilioſus verò, propter exuperantiam caloris euaporatus & tanquam aſſatus.

XLII. Cur quamplures colores vomere ac graue olens, exitiale admodum eſt? an quòd id multas in corpore haberi difficileſque affectiones? hoc putrefactionem maximam oſtendit, quæ ſemper mala eſt, quum putredo ipſa ſemper cuicumque affectioni admixta, ipſam deteriorem efficere nata ſit.

XLIII. Quinam humores ægritudines difficiliores, quiue faciliores facere, nati ſunt? an dicendum eſt, quæ ex ſanguine, ac pituita conſiſtunt, ægritudines faciliores modeſtioreſque ſemper eſſe: quæ verò flaua aut atra bile conſiſtunt, difficiliores? alterutra enim derodit corpus, hocque commune illis eſt: proprium autem vtriuſque, flauæ quidem bilis vt acutas accendat febres, atræ verò vt ſolutu difficilem committat affectionem: humor enim hic, vtpote craſſus terreuſque adeò infarcit membra, quibus conditus eſt, vt difficillimè omnium excernatur.

XLIV. *Quam ob causam distillationes & præcedentes & subsequentes, pulmonis morbos semper pro malo habentur? an quoniam præcedentes, malis pulmonem humoribus implent: subsequentes verò, magnam pulmonis affectionem, & ab ipsa caput eße affectuum significant? fiunt enim huiusmodi destillationes, quià calidos cerebrum vapores recipit.*

XLV. *Cur sternutamentum in omnibus pulmonis morbis malum est, in reliquis autem morbis, vtile semper extat? an quum thoracem sternutamentum concutiat, efficitur, vt pulmo ipse affectus lædatur? per alios verò morbos non ita contingit, sed salutem potius ostendit? concoctionis etenim ac roboris, secretoriæ in cerebro facultatis indicium est, de qua in nasum flatuoso spiritu secreto, pariter cum alio quoquæ humore nonnunquam sensibili & conspicuo, quandoque tenuiore & spectatu difficili, sternutamentum ipsum consistit.*

XLVI. *Cur tabidorum genæ ruborem contrahunt? an id ob calorem pulmonis ipsis prouenit? an etiam ob tußedinem? hæc enim ambo calefaciunt vultum & omne caput, quia ex defluxione in pulmonem decumbente, vapores in ipsum redundant.*

XLVII. *Sed cur ipsis vngues curuantur? an quia firmans eos vtrinque caro consumitur?*

XLVIII. *Cur digiti, qui in morbis diutinis magna ex parte refrigerari solent, in omnibus hecticis febribus calidi permanent? an quòd hæ solidiores*

diores afficiunt potissimùm corporis partes? sanè in summis prospicuè calidiores apparent, non in partibus exterioribus, sed interioribus, vbi carnulentiores existunt.

XLIX. Cur tabidorum pedes intumescunt? an quoniã totius corporis extinctio inde incipit, quippe quòd hæ partes ab origine longissimè absunt?

L. Cur purulenti, quum ipsos tussiendi cupiditas infestat, nihil commentatione dignum excreare possunt? si enim aliquid excreassent, nequaquam purulenti euasissent. An ob puris ipsius lentorem crassitiemque hoc accidit? an etiam ob continentis pulmonem membranulæ densitatem? an etiam ob facultatis ipsius ægri debilitatem?

LI. Cur in suppuratorum corpore, pustulæ generantur? an ob derodentem saniem in ipsorum corpore collectam, efficiuntur? sanies enim in cute existens, ibique comprehensa, calefit: talisque in reliquuam cutem quacunque laxior est, se insinuans, in exteriori eius superficie, vtpote densiori, subsistit: porrò hanc dirimit, & ab intima absistit sede, atque in ea collecta pustulas gignit.

LII. Cur absceßus potissimùm circa articulos erumpunt? an ob articulorum ipsorum amplitudinem imbibentem decumbentes fluxiones, hoc fit? an ad id quoqne conducit motio eorum? omnes enim humores ad sedem commotam & calefactam, facilius permeant.

LIII. Cur abscessus, qui nequaquam secreta secreatione deleri videntur (hoc est, citò ac velut de

lut de repente deſiſtere : hoc enim propriè verbum Deleri, ſignificare videtur) ac febre detinente, & rurſus repetentes, difficilem fore morbum ſignificant ? an quoniam hi non verè diſcuſſi ſunt ? non enim ſi diſcuſſi eſſent, amplius febricitarent ægri, ſed facilè ſcrearent : ſed hi, ob id deleri videntur, quòd humores ipſos committentes tranſmeent in eandem, vnde commoti ſunt, ſedem, aut ad aliquam aliam in profundo corporis partem, quod malum eſt, difficultatemque morbi indicans.

LIV. Cur maiores natu, ex ſupperatione ex pulmonia exorta, magis moriuntur, minores verò ſeruantur : ſed in alijs ſuppurationibus, hi magis moriuntur, & maiores ſeruantur ? an quia propter excreationem ſanatio efficitur, viribus egens valentioribus ? ob id potius minores natu quàm maiores ſeruantur, in cæteris verò minores natu antea moriuntur, ex doloribus ac febribus : itaque per alias ſuppurationes, ſub ipſo ſuppurationis tempore, minores natu ex magnitudine febrium ac doloris moriunτur.

LV. Cur in minoribus natu, quintum & trigeſimum annum agentibus, in morborum ſolutione magis expectanda eſt ſanguinis erupio, in maioribus verò ſuppuratio ? an quòd ætas ad quintum & trigeſimum annum plurimum gignit ſanguinis? an etiam quoniam ſanguis per hanc ætatem calidior ac bilioſior habetur ? in maioribus verò, quum iſta non adſint, potius ſuppuratio prouenit.

LVI. Quinam morbi ſunt, qui per abſceſſum, qui

qui per excretionem, quiue per solutionem aliam finiri solent? an sciendum est, quòd hi morbi, quos humores committunt calidiores, quum ægri viribus valentioribus per excretionem iudicantur? in quibus verò facultas debilis est, & humor morbum committens frigidus, hi nec excretione nec abscessu desistunt, sed aut ægrum corrumpunt, aut perquàm longo temporis spatio vix concoquuntur, per insensibilem solutionem paulatim. Inter has verò affectiones, mediæ aliæ intercidunt, quæ per abscessum finiuntur: in quibus, ex duabus oppositionibus, alterum ex altera, alterum ex reliqua, est, vt vel ex humoribus calidis & vi non valida, vel ex frigidis humoribus & facultate valida: his enim opus est, ad abscessuum generationem.

LVII. Cur morbi qui æstatis fine proueniunt, vt plurimùm ad circuitionem quartanam vertuntur? an quoniam humores feruentes æstiuo tempore per febres ipsas in atram bilem vertuntur, quæ quartanarum febrium causam dat? est etenim atribilarij humoris generatio duplex: tum scilicet ex sanguine crassiore, qui respondet proportione in venis, subsidenti in dolio vini feci: tum etiam flaua bile vehementer assata, quo pacto in febribus æstiui temporis atra bilis, hæc febres quartanas faciens, generatur.

LVIII. Cur febres inordinatas (erraticas medici appellant) potissimùm quartanæ subsequuntur? an quum erraticæ febres fiant ex humore atribilario, qui aliquando in partibus quibusdam moue-

mouetur? in quibuſdam verò immotus manet, in alijs putret, aut feruere incipit: quoties ex hoc, quòd facilè eſt, in cunctis venis eadem fiat affectio, quartanæ conſiſtunt febres, & maximè quoties æſtatis conuerſio in autumnum, vtpotè frigidum, extrorſum delationis ac ſpirationis adſtringit humores, introrſumque auocat in profundum.

LIX. Cur vomituris capitis dolor & tenebricoſum quiddam ad oculos obuerſans, vt plurimùm præcedere ſolet? an ob exhalationem humorum, qui vomendi ſunt, hæc proueniunt, vnde vomitus hæc certiſſima ſigna eſſe ſolent?

LX. Cur vomituris labrum infernum intremiſcit concutiturque? an quoniam bilis mordens internam ventriculi tunicam ita commouet, concutitque ipſum? conſtat enim ex diſſectione vnam eſſe omnem hanc tunicam perpetuam per omnia ſibi, & omnis ventriculi, & gulæ, & linguæ, & palati, & omnis oris: hæc itaque labra concutit, quoties ab acriore bile collecta, in ore ventriculi mordetur.

LXI. Cur hydropici, quum morbo ex frigiditate laborent, ſiti infeſtantur? an ob abundantis humoris ſalſedinem hoc ipſis euenit?

LXII. Cur hydropici, ſi vulnerantur, difficulter ſanantur? an quoniam non prius ad cicatricem perduci vulnera poſſunt, quàm ſufficienter exſiccentur? hoc autem non facilè in hydropicis effici poteſt, ob humiditatis immoderantiam, & idcircò difficulter ſanantur.

LXIII.

LXIII. Cur in morbo excrementum tenax exiens, malum significat? an quoniam solidarum partium animalis contabescentiam indicat?

LXIV. Sed cur excrementum vehementer fœtens (quando hoc ex cibo non accidat) omnium prauissimum existit? an quòd vehementem in corpore putrefactionem ostendit?

LXV. Cur excrememtorum varietas, morbi diuturnitatem ac malignitatem significat? an quoniam corpus varijs affectibus obnoxium ostendit? multitudo enim affectuum, longiori ad concoctionem indiget tempore, periculumque affert passioni æquale.

LXVI. Quænam vrinarum turbidarum differentia (quum triplex in vniuersum sit: nam vel quum tales mixtæ fuerint, paulò post resident, vel semper similes permanent, vel puræ quidem minguntur, postea verò conturbantur) omnibus prauior existit? an prauior ex dictis tertia est, bona verò prima, media autem inter vtranque secunda? quoniam quæ statim residet, parum aliquid inæqualis turbulentiæ superesse demonstrat: quæ verò semper manet, similis vigere adhuc eam, quæ est in sanguine agitationem, ostendit: quæ verò extrà conturbatur, debet incipere concoqui, quare hæc non sine ratione, pessima est: longiori etenim tempore, & virtute forti, indiget ad coctionem. Sed quæ turbulenta mingitur, statimque subsidentiam optimam habet, morbum haud ita multò pòst coquendum significat, atque idcirco melior

lior est: medio autem modo se habet reliqua, vt enim quæ vigente fit conturbatione: quantum mali tia differt ab ea quæ adhuc futuram perturbationem significat, tantum superat eam, quæ iam quiescentem obtinet.

LXVII. Sed cur aquosa, quæ ad summum incocta est vrina, has omnes malitia superat? an quoniam hæc neque iam coqui incipiens, est vt turbulenta, neque coquenda, sicut quæ paulò pòst perturbatur, sed veluti desperatæ coctionis accidens est? Quæ itaque talis est, venosæ naturæ passionem significat, similem ei, quæ ventris cruditas nominatur.

LXVIII. Cur vrinę profluuium (diabetem alij, alij aquam inter cutem ad matellam vocant) inter omnes vrinas crudas, pessimum existimatur? post hoc etenim aquosa est. An quoniam hoc non modò virtutis concoctricis, sed & retentricis imbecillitatem extremam significat? est etenim velut vtriusque virtutis extinctio: aquosa autem, quantum ad cruditatem, huic similis est, sed quia nullum aliud malum demonstrat (alteratricis enim tantummodo imbecillitatem ostendit) minus illo perniciosa est: quanto enim plurium instrumentorum vires actionesque impeditæ fuerint, aut ex toto perierint, tanto deterior morbus est: atque idcirco pessimum est vrinæ profluuium.

LXIX. Quid est, quòd in pueris ferè omnibus, & in perfecta ætate vitam degentibus ociosam, aut qui quouis alio modo pleni sunt, satis multam habent

bent vrinæ subsidentiam? an quoniam in his omnibus plus est de inconfecto & crudo humore? ijs quidem propter desidem vitam, pueris verò propter satietatem: quoniam magis voraces sunt, & ob id etiam quòd ventriculi operatio non potest duobus simul sufficere, in his, augendo scilicet atque alendo: antequàm igitur in ipso sufficienter alimentum decoquatur, trahit ad se corpus, hincque fit, vt plurimùm crudi humoris in pueris coaceruetur.

LXX. Quid est, quòd vrina farinæ hordeaceæ partibus grandioribus similis, mala existimatur? an quoniam grandis colliquationis indicium est? an etiam quòd caliditatis æstuosæ sanguinem adurentis nota existit?

LXXI. Quid est, quòd vrinarum nigræ subsidentiæ, pessimæ habentur? an quoniam excedentem caliditatem atque igneam ostendunt? an etiam vehementis ex frigiditate extinctionis indicia esse possunt, nec mirum hoc sit? sic enim & extrinsecus nostri corporis partes nigro affici colore videmus, partim scilicet ex nimio calore, partim ex vehementi frigore.

LXXII. Sed cur in vrina viridis color prauus existimatur? an quoniam nigredinis principium existit? fit enim color iste in transitu ad nigrum. Omnes igitur hæ prauæ vrinæ sunt, sicut & male olens & pinguis oleosaue vrina, quæ ob putrefactionem, & corporis colliquationem fiunt.

LXXIII. Cur tertianarum febrium accessiones

nes, ad infebricitationem proueniunt, ardentium (causos has Græci nominant) verò minime, quum ambæ eandem efficientem causam habeant? an quòd in tertianis, humor per singulas expurgatur accessiones, in ardentibus verò non item? illæ enim quum humorem extra venas habeant, vehementer se mouentem per singulas corporis partes dißeminatur, quò fit, vt delationis impetu, ipse perseipsum expurgetur: hæ verò quum flauæ bilis humorem in vasis vnà cum ipso sanguine contineanque, motu aliquo, vt in tertianis fit, non mouetur, ideò per singulas, vt illæ, accessiones, non expurgantur, nec ad infebricitationem deueniunt, sed tunc tantommodo quum bilis vehementius agitatur, ac veluti efferuescit, iamque à natura inualescente compellitur, rigore iam superueniente, febris ipsa soluitur.

LXXIX. Cur tertiana febris statim ab initio rigorem affert, quartana verò non statim? in quotidiana autem, neque statim, neque postea rigor fit, sed refrigeratio quædam potius sentitur. An quòd tertianæ febris causa, flaua scilicet bilis, calidior mobiliorque omnibus humoribus est, quartanæ autem causa non ita? frigidior enim ac crassior ipsa melancholia existit difficiliorisque motus: in quotidiana autem rigor non fit, quoniam pituita à qua fit, omnium ad motum ignauior est, sed in ipsa frigus tantùm sentitur, vtpote ipsa frigidissima existente.

LXXX. Cur magis ac repentinis morborum

muta-

mutationibus, veteres iudicationis nomen indiderunt? an quoniam ob perturbationem maximam ac ipsius vehementiam, iudicium de vita ægrotantis tunc fieri arbitrati sunt?

LXXVI. Cur oculorum rubor post vomitionem diu permanens, malum est? an quoniam vel ventriculi, vel cerebri potius inflammationem aliquam ostendit?

LXXVII. Vndenam ad prænoscendam morborum diuturnitatem ac breuitatem, cognitio haberi potest? an ab humoribus ipsos committentibus; humorum etenim natura hoc maximè demonstrat: nam si humor morbum commitens, pituitosus extiterit, necessariò diuturnum fore morbum significat, longè verò magis, si atræ bilis naturam humor referat: at si ad flauam bilem pertinebit, non erit diuturnus. An etiam certum est, ex loci patientis natura prænotionem hanc haberi posse? nam locus patiens, qui motu multo exercetur, calidusque est, ac rarus, & principatum gerẽs, acutiorem morbum futurum portendit: qui verò non ita est, ad longius tempus extendi debere significat. An et eodem modo dispositio ipsa indicat? siquidem hæc difficiliorem motum habuerit, frigidiorque fuerit & densior, diù duraturum morbum ostendit: si autem facile moueatur, calidiorque fuerit ac rarior, citò solutum iri. Patet igitur non tantummodo ex causis, verum etiam ex loci ac dispositionis natura, præsagia posse sumi de morborum longitudine ac breuitate.

LXXVIII. Quid est, quòd crisis sæpius ex quarto die ad tertium & ad quintum transmutatur? an ratione accesionis morbi hoc euenit? oportet enim crisin in idem tempus incidere cum accessione, rarò nanque accidit vt in die leuiore fiat crisis.

LXXIX. Cur neminem vnquam in vniuersalibus morborum declinationibus morbi ratione mori contingit? an quia postquàm causæ morbosæ iam coctæ sunt, ac iam natura superauit, fieri nequit vt æger moriatur, modò recta adhibeatur curatio? Tempore enim status elapso, vbi scilicet natura ipsa superior euasit & restitit vehementiori morbi conatui, & quæ infestabant, oppressit (hoc enim est ipsa coctio) fieri non potest, vt deinceps succumbat: quòd si à morbo natura non vincatur, mortem subsequi nullo modo contingit: siquidem aliud non est mors, quàm omnimoda naturæ prostratio.

LXXX. Sed cur in accessionum particularium declinationibus multi sæpissimè mori visi sunt? an quòd naturæ vis imbecilla, quæ in in principio accessionis & augumento & statu perdurare valuit, quum scilicet adhuc habitus ipse in vnum collectus continebatur, tempore ipsius declinationis, à medio ad extrema calore retrocedente, spargitur, atque dißoluitur?

LXXXI. Cur qui ex ocio & repletione febricitant, si sanitati restitui debent, neceße est vt his plurimùm in vrina subsideat? non ita verò his

euenit, qui ex inædia, & labore ęgrotant? an quòd in illis multum est de inconfecto & crudo humore, qui per vrinam excerni debet, in alijs verò minimè?

LXXXII. *Cur vigiliæ desipientias pariunt? an immodicæ siccitatis ratione? an potius quòd in vigilijs biliosior efficitur sanguis?*

LXXXIII. *Cur iudicatoria quæ non iudicant, vel male iudicantia, vel mortalia existunt? an quòd natura in huiusmodi dispositionibus morbo ipsi succumbit?*

LXXXIV. *Quid est, quòd status præcognitio in morbis ita necessaria existit? an quoniam neque conueniens victus adhiberi potest, si status non prænoscatur, ad quem scilicet ratio victus instituitur? neque etiam de ægri salute vel morte alio modo manifestam haberi notitiam contingit: sed neque crisi nunquid futura sit, aut omninò non erit: & quum sit, quando aut qualis sit, sciri potest, vt quæ præcipuè in ipso fit: itaque artis opus, cæterisque omnibus anteferendum, ad prænoscendum futurum statum exercitatio esse videtur.*

LXXXV. *Quibusnam indicijs falsæ morborum declinationes (ita enim declinationes mortales, veteres appellarunt) à veris declinationibus dignoscuntur, quum in vtrisque pariter febrilis calor dissoluatur, à cõtrarijs licet fiat causis? an manifestissimè ex pulsibus dignoscuntur? nam vehementior fit continuè pulsus & æqualior atque ordinatior in optima declinatione: expellit enim*

natura fortius omnem subitò febrilem calorem: debilior verò atque inordinatior & inæqualis est pulsus in falsa & mortali declinatione, nam vnà cum alijs tunc calor febrilis expirat.

LXXXVI. Quibusnam notis prospici potest, vtrum in morbis exitiosis mors sequutura sit, cum crisi vel sine crisi? an sciendum est, tunc mortem sine crisi futuram esse in huiuscemodi morbis, quum virium aderit imbecillitas maxima? neque enim natura ita prostrata ad pugnam contra morbum excitatur. An etiam cognoscetur, si nullum vel minimum coctionis signum extiterit? an etiam præter hæc ex hoc scietur, si magnus sit morbus atque malignus, atque etiam celeriter moueatur? hæc igitur quũ affuerint, omnino absque crisi mors subsequetur: sicut quum virtus robusta fuerit, & morbus velociter moueatur, & aliquod signum coctionis adfuerit, non extra rationem est, quòd natura tentabit crisin.

LXXXVII. Vndenam mortis dies præcognosci potest? an considerando quanto superet morbus naturam, & grauiores accessiones inspiciendo? si enim effatu dignus fuerit excessus, & parum resistere adhuc vis naturæ videatur, mors citò subsequetur: si contrà, tardius.

LXXXVIII. Vtrum crisis qualitas ac modus prænosci possit, quibusue notis? an dicendum est, quòd optimè præsciri hoc potest? his verò notis (vt summatim dicatur) considerando scilicet naturæ ipsius motum, vel vt diffusius, distin-

ſtinguendo primùm ſi acutus eſt morbus & calidus, & ſi criſis fiat in primis periodis, tunc enim neceſſe eſt talem criſin per excretionem fieri: ſi verò diuturnus & tardus morbus ſit, tunc per abſceſſus finietur, præcipuè quum vrinę crudæ & tenues longo tempore exierint: ſi autem multæ & plurimam ſubſidentiam habuerint, rationabile eſt morbum potius paulatim debere concoqui, non autem per abſceſſum terminari.

LXXXIX. Sed quæ excretionum particularium abſceſſuumque indicia exiſtunt? an excretionis quæ per vomitum fit, ſigna ſunt, oris ventriculi (quod cor, priſci nominabant) morſus, ſimul cum dolore capitis, & vertigines obortæ, cum his quæ obijciuntur oculis tenebricoſis, & cum agitatione labri inferioris, & præterea multo ac tenui ſputo defluente, & facta ex neruis compaſſione præenoſcitur vomitus, dolores item capitis graues & calidi & pulſantes veluti mordaces vomituum indicia ſunt? Sanguinis verò ex naribus profluuij ſigna ſunt, quidam fulgoris motus oculis apparentes, viſus autem hebetes, quoniam ſicut multus & totus ſimul elatus, ad ſuperiora ſpiritus, meatus obſerat, ita & oculi lachrymantur ob fluxus multitudinem, & rubidi aliquandò videntur, cum malis, nonnunquam & naribus: eſt etiam proprium ſignum hypochondriorum tentio ſine dolore, & difficultas anhelitus, nam hæc permeante thoracem ſanguine fit: dolores item capitis graues, calidi, & pulſantes, ſanguinis fluxum indicant: præterea

lut de repente deſiſtere: hoc enim propriè verbum Deleri, ſignificare videtur) ac febre detinente, & rurſus repetentes, difficilem fore morbum ſignificant? an quoniam hi non verè diſcuſſi ſunt? non enim ſi diſcuſſi eſſent, amplius febricitarent ægri, ſed facilè ſcrearent: ſed hi, ob id deleri videntur, quòd humores ipſos committentes tranſmeent in eandem, vnde commoti ſunt, ſedem, aut ad aliquam aliam in profundo corporis partem, quod malum eſt, difficultatemque morbi indicans.

LIV. Cur maiores natu, ex ſupperatione ex pulmonia exorta, magis moriuntur, minores verò ſeruantur: ſed in alijs ſuppurationibus, hi magis moriuntur, & maiores ſeruantur? an quia propter excreationem ſanatio efficitur, viribus egens valentioribus? ob id potius minores natu quàm maiores ſeruantur, in cæteris verò minores natu antea moriuntur, ex doloribus ac febribus: itaque per alias ſuppurationes, ſub ipſo ſuppurationis tempore, minores natu ex magnitudine febrium ac doloris moriuntur.

LV. Cur in minoribus natu, quintum & trigeſimum annum agentibus, in morborum ſolutione magis expectanda eſt ſanguinis erupio, in maioribus verò ſuppuratio? an quòd ætas ad quintum & trigeſimum annum plurimum gignit ſanguinis? an etiam quoniam ſanguis per hanc ætatem calidior ac bilioſior habetur? in maioribus verò, quum iſta non adſint, potius ſuppuratio prouenit.

LVI. Quinam morbi ſunt, qui per abſceſſum,

qui

qui per excretionem, quiue per solutionem aliam finiri solent? an sciendum est, quòd hi morbi, quos humores committunt calidiores, quum ægri viribus valentioribus per excretionem iudicantur? in quibus verò facultas debilis est, & humor morbum committens frigidus, hi nec excretione nec abscessu desistunt, sed aut ægrum corrumpunt, aut perquàm longo temporis spatio vix concoquuntur, per insensibilem solutionem paulatim. Inter has verò affectiones, mediæ aliæ intercidunt, quæ per abscessum finiuntur: in quibus, ex duabus oppositionibus, alterum ex altera, alterum ex reliqua, est, vt vel ex humoribus calidis & vi non valida, vel ex frigidis humoribus & facultate valida: his enim opus est, ad abscessuum generationem.

LVII. Cur morbi qui æstatis fine proueniunt, vt plurimùm ad circuitionem quartanam vertuntur? an quoniam humores feruentes æstiuo tempore per febres ipsas in atram bilem vertuntur, quæ quartanarum febrium causam dat? est etenim atribilarij humoris generatio duplex: tum scilicet ex sanguine crassiore, qui respondet proportione in venis, subsidenti in dolio vini feci: tum etiam flaua bile vehementer assata, quo pacto in febribus æstiui temporis atra bilis, hæc febres quartanas faciens, generatur.

LVIII. Cur febres inordinatas (erraticas medici appellant) potissimùm quartanæ subsequuntur? an quum erraticæ febres fiant ex humore atribilario, qui aliquando in partibus quibusdam moue-

mouetur? in quibuſdam verò immotus manet, in alijs putret, aut feruere incipit: quoties ex hoc, quòd facilè eſt, in cunctis venis eadem fiat affectio, quartanæ conſiſtunt febres, & maximè quoties æſtatis conuerſio in autumnum, vtpotè frigidum, extrorſum delationis ac ſpirationis adſtringit humores, introrſumque auocat in profundum.

LIX. Cur vomituris capitis dolor & tenebricoſum quiddam ad oculos obuerſans, vt plurimùm præcedere ſolet? an ob exhalationem humorum, qui vomendi ſunt, hæc proueniunt, vnde vomitus hæc certiſſima ſigna eſſe ſolent?

LX. Cur vomituris labrum infernum intremiſcit concutiturque? an quoniam bilis mordens internam ventriculi tunicam ita commouet, concutitque ipſum? conſtat enim ex diſſectione vnam eſſe omnem hanc tunicam perpetuam per omnia ſibi, & omnis ventriculi, & gulæ, & linguæ, & palati, & omnis oris: hæc itaque labra concutit, quoties ab acriore bile collecta, in ore ventriculi mordetur.

LXI. Cur hydropici, quum morbo ex frigiditate laborent, ſiti infeſtantur? an ob abundantis humoris ſalſedinem hoc ipſis euenit?

LXII. Cur hydropici, ſi vulnerantur, difficulter ſanantur? an quoniam non prius ad cicatricem perduci vulnera poſſunt, quàm ſufficienter exſiccentur? hoc autem non facilè in hydropicis effici poteſt, ob humiditatis immoderantiam, & idcircò difficulter ſanantur.

LXIII. Cur in morbo excrementum tenax exiens, malum significat? an quoniam solidarum partium animalis contabescentiam indicat?

LXIV. Sed cur excrementum vehementer fœtens (quando hoc ex cibo non accidat) omnium prauissimum existit? an quòd vehementem in corpore putrefactionem ostendit?

LXV. Cur excrememtorum varietas, morbi diuturnitatem ac malignitatem significat? an quoniam corpus varijs affectibus obnoxium ostendit? multitudo enim affectuum, longiori ad concoctionem indiget tempore, periculumque affert passioni æquale.

LXVI. Quænam vrinarum turbidarum differentia (quum triplex in vniuersum sit: nam vel quum tales mixtæ fuerint, paulò post resident, vel semper similes permanent, vel puræ quidem minguntur, postea verò conturbantur) omnibus prauior existit? an prauior ex dictis tertia est, bona verò prima, media autem inter vtranque secunda? quoniam quæ statim residet, parum aliquid inæqualis turbulentiæ superesse demonstrat: quæ verò semper manet, similis vigere adhuc eam, quæ est in sanguine agitationem, ostendit: quæ verò extrà conturbatur, debet incipere concoqui, quare hæc non sine ratione, pessima est: longiori etenim tempore, & virtute forti, indiget ad coctionem. Sed quæ turbulenta mingitur, statimque subsidentiam optimam habet, morbum haud ita multò pòst coquendum significat, atque idcirco melior

lior est: medio autem modo se habet reliqua, ut enim quæ vigente fit conturbatione: quantum malitia differt ab ea quæ adhuc futuram perturbationem significat, tantum superat eam, quæ iam quiescentem obtinet.

LXVII. Sed cur aquosa, quæ ad summum incocta est vrina, has omnes malitia superat? an quoniam hæc neque iam coqui incipiens, est ut turbulenta, neque coquenda, sicut quæ paulò pòst perturbatur, sed veluti desperatæ coctionis accidens est? Quæ itaque talis est, venosæ naturæ passionem significat, similem ei, quæ ventris cruditas nominatur.

LXVIII. Cur vrinæ profluuium (diabetem alij, alij aquam inter cutem ad matellam vocant) inter omnes vrinas crudas, pessimum existimatur? post hoc etenim aquosa est. An quoniam hoc non modò virtutis concoctricis, sed & retentricis imbecillitatem extremam significat? est etenim velut vtriusque virtutis extinctio: aquosa autem, quantum ad cruditatem, huic similis est, sed quia nullum aliud malum demonstrat (alteratricis enim tantummodo imbecillitatem ostendit) minus illa perniciosa est: quanto enim plurium instrumentorum vires actionesque impeditæ fuerint, aut ex toto perierint, tanto deterior morbus est: atque idcirco pessimum est vrinæ profluuium.

LXIX. Quid est, quòd in pueris ferè omnibus, & in perfecta ætate vitam degentibus ociosam, aut qui quouis alio modo pleni sunt, satis multam habent

bent vrinæ subsidentiam? an quoniam in his omnibus plus est de inconfecto & crudo humore? ijs quidem propter desidem vitam, pueris verò propter satietatem: quoniam magis voraces sunt, & ob id etiam quòd ventriculi operatio non potest duobus simul sufficere, in his, augendo scilicet atque alendo: antequàm igitur in ipso sufficienter alimentum decoquatur, trahit ad se corpus, hincque fit, vt plurimùm crudi humoris in pueris coacervetur.

LXX. Quid est, quòd vrina farinæ hordeaceæ partibus grandioribus similis, mala existimatur? an quoniam grandis colliquationis indicium est? an etiam quòd caliditatis æstuosæ sanguinem adurentis nota existit?

LXXI. Quid est, quòd vrinarum nigræ subsidentia, pessimæ habentur? an quoniam excedentem caliditatem atque igneam ostendunt? an etiam vehementis ex frigiditate extinctionis indicia esse possunt, nec mirum hoc sit? sic enim & extrinsecus nostri corporis partes nigro affici colore videmus, partim scilicet ex nimio calore, partim ex vehementi frigore.

LXXII. Sed cur in vrina viridis color prauus existimatur? an quoniam nigredinis principium existit? fit enim color iste in transitu ad nigrum. Omnes igitur hæ prauæ vrinæ sunt, sicut & male olens & pinguis oleosaue vrina, quæ ob putrefactionem, & corporis colliquationem fiunt.

LXXIII. Cur tertianarum febrium accessiones,

nes, ad infebricitationem proueniunt, ardentium (causos has Græci nominant) verò minime, quum ambæ eandem efficientem causam habeant? an quòd in tertianis, humor per singulas expurgatur accessiones, in ardentibus verò non item? illæ enim quum humorem extra venas habeant, vehementer se mouentem per singulas corporis partes disseminatur, quò fit, vt delationis impetu, ipse perseipsum expurgetur: hæ verò quum flauæ bilis humorem in vasis vnà cum ipso sanguine contineanque, motu aliquo, vt in tertianis fit, non mouetur, ideò per singulas, vt illæ, accessiones, non expurgantur, nec ad infebricitationem deueniunt, sed tunc tantommodo quum bilis vehementius agitatur, ac veluti efferuescit, iamque à natura inualescente compellitur, rigore iam superueniente, febris ipsa soluitur.

LXXIX. Cur tertiana febris statim ab initio rigorem affert, quartana verò non statim? in quotidiana autem, neque statim, neque postea rigor fit, sed refrigeratio quædam potius sentitur. An quòd tertianæ febris causa, flaua scilicet bilis, calidior mobiliorque omnibus humoribus est, quartanæ autem causa non ita? frigidior enim ac crassior ipsa melancholia existit difficiliorisque motus: in quotidiana autem rigor non fit, quoniam pituita à qua fit, omnium ad motum ignauior est, sed in ipsa frigus tantùm sentitur, vtpote ipsa frigidissima existente.

LXXX. Cur magis ac repentinis morborum

mutationibus, veteres iudicationis nomen indiderunt? an quoniam ob perturbationem maximam ac ipsius vehementiam, iudicium de vita ægrotantis tunc fieri arbitrati sunt?

LXXVI. Cur oculorum rubor post vomitionem diu permanens, malum est? an quoniam vel ventriculi, vel cerebri potius inflammationem aliquam ostendit?

LXXVII. Vndenam ad prænoscendam morborum diuturnitatem ac breuitatem, cognitio haberi potest? an ab humoribus ipsos committentibus; humorum etenim natura hoc maximè demonstrat: nam si humor morbum commitens, pituitosus extiterit, necessariò diuturnum fore morbum significat, longè verò magis, si atræ bilis naturam humor referat: at si ad flauam bilem pertinebit, non erit diuturnus. An etiam certum est, ex loci patientis natura prænotionem hanc haberi posse? nam locus patiens, qui motu multo exercetur, calidusque est, ac rarus, & principatum gerẽs, acutiorem morbum futurum portendit: qui verò non ita est, ad longius tempus extendi debere significat. An et eodem modo dispositio ipsa indicat? siquidem hæc difficiliorem motum habuerit, frigidiorque fuerit & densior, diù duraturum morbum ostendit: si autem facile moueatur, calidiorque fuerit ac rarior, citò solutum iri. Patet igitur non tantummodo ex causis, verum etiam ex loci ac dispositionis natura, præsagia posse sumi de morborum longitudine ac breuitate.

LXXVIII. Quid eſt, quòd criſis ſæpius ex quarto die ad tertium & ad quintum transmutatur? an ratione acceſionis morbi hoc euenit? oportet enim criſin in idem tempus incidere cum acceſſione, rarò nanque accidit vt in die leuiore fiat criſis.

LXXIX. Cur neminem vnquam in vniuerſalibus morborum declinationibus morbi ratione mori contingit? an quia poſtquàm cauſæ morboſæ iam coctæ ſunt, ac iam natura ſuperauit, fieri nequit vt æger moriatur, modò recta adhibeatur curatio? Tempore enim ſtatus elapſo, vbi ſcilicet natura ipſa ſuperior euaſit & reſtitit vehementiori morbi conatui, & quæ infeſtabant, oppreſſit (hoc enim eſt ipſa coctio) fieri non poteſt, vt deinceps ſuccumbat: quòd ſi à morbo natura non vincatur, mortem ſubſequi nullo modo contingit: ſiquidem aliud non eſt mors, quàm omnimoda naturæ proſtratio.

LXXX. Sed cur in acceſſionum particularium declinationibus multi ſæpiſſimè mori viſi ſunt? an quòd naturæ vis imbecilla, quæ in in principio acceſſionis & augumento & ſtatu perdurare valuit, quum ſcilicet adhuc habitus ipſe in vnum collectus continebatur, tempore ipſius declinationis, à medio ad extrema calore retrocedente, ſpargitur, atque diſſoluitur?

LXXXI. Cur qui ex ocio & repletione febricitant, ſi ſanitati reſtitui debent, neceſſe eſt vt his plurimùm in vrina ſubſideat? non ita verò his

euenit,

euenit, qui ex inædia, & labore egrotant? an quòd in illis multum est de inconfecto & crudo humore, qui per vrinam excerni debet, in alijs verò minimè?

LXXXII. Cur vigiliæ desipientias pariunt? an immodicæ siccitatis ratione? an potius quòd in vigilijs biliosior efficitur sanguis?

LXXXIII. Cur iudicatoria quæ non iudicant, vel male iudicantia, vel mortalia existunt? an quòd natura in huiusmodi dispositionibus morbo ipsi succumbit?

LXXXIV. Quid est, quòd status præcognitio in morbis ita necessaria existit? an quoniam neque conueniens victus adhiberi potest, si status non prænoscatur, ad quem scilicet ratio victus instituitur? neque etiam de ægri salute vel morte alio modo manifestam haberi notitiam contingit: sed neque crisi nunquid futura sit, aut omninò non erit: & quum sit, quando aut qualis sit, sciri potest, vt quæ præcipuè in ipso sit: itaque artis opus, cæterisque omnibus anteferendum, ad prænoscendum futurum statum exercitatio esse videtur.

LXXXV. Quibusnam indicijs falsæ morborum declinationes (ita enim declinationes mortales, veteres appellarunt) à veris declinationibus dignoscuntur, quum in vtrisque pariter febrilis calor dissoluatur, à cõtrarijs licet fiat causis? an manifestissimè ex pulsibus dignoscuntur? nam vehementior fit continuè pulsus & æqualior atque ordinatior in optima declinatione: expellit enim

stinguendo primùm si acutus est morbus & calidus, & si crisis fiat in primis periodis, tunc enim necesse est talem crisin per excretionem fieri: si verò diuturnus & tardus morbus sit, tunc per abscessus finietur, præcipuè quum vrinę crudæ & tenues longo tempore exierint: si autem multæ & plurimam subsidentiam habuerint, rationabile est morbum potius paulatim debere concoqui, non autem per abscessum terminari.

LXXXIX. *Sed quæ excretionum particularium absceßuumque indicia existunt? an excretionis quæ per vomitum fit, signa sunt, oris ventriculi (quod cor, prisci nominabant) morsus, simul cum dolore capitis, & vertigines obortæ, cum his quæ obijciuntur oculis tenebricosis, & cum agitatione labri inferioris, & præterea multo ac tenui sputo defluente, & facta ex neruis compassione, prænoscitur vomitus, dolores item capitis graues & calidi & pulsantes veluti mordaces vomituum indicia sunt? Sanguinis verò ex naribus profluuij signa sunt, quidam fulgoris motus oculis apparentes, visus autem hebetes, quoniam sicut multus & totus simul elatus, ad superiora spiritus, meatus obserat, ita & oculi lachrymantur ob fluxus multitudinem, & rubidi aliquandò videntur, cum malis, nonnunquam & naribus: est etiam proprium signum hypochondriorum tentio sine dolore, & difficultas anhelitus, nam hæc permeante thoracem sanguine fit: dolores item capitis graues, calidi, & pulsantes, sanguinis fluxum indicant: præterea*

ætas, tempus anni, & regio, & ægrotantis natura hoc idem manifeſtare poſſunt. Sanguinis igitur fluxus & vomituum, propria & manifeſta ſunt ſigna, ſecunda verò poſt ipſa ſudorum: ſi verò etiam per excrementa alui criſis ſit ſequutura, manifeſtum quidem, non tamẽ ita, neque proprium, ſed ex eò quòd adſunt criſis ſigna: deſunt autem vomituum vel fluxus ſanguinis, vel ſudorum, colligere licet: quamquam non hoc tantùm, ſed etiam per hæmorrhoidas, criſes fieri contingit, quibus ſcilicet hæmorrhoides conſuetæ ſunt, & mulieribus per menſtrua, criſes autem quæ mulieribus per menſtrua fiunt, non difficile eſt diſtinguere, grauitas enim lumborum effatu digna & tentio & dolor, menſtrua antecedunt: quum autem morbi ad abſceſſus conuertuntur, communia ſigna habentur, quòd ſcilicet ubi de ægri ſalute non deſperetur, neque morbus ſoluitur, neque vrina multa, & multam haben, ſubſidentiam, ſed cruda & tenuis fertur, fient abſceſſus. Propria verò ſigna ſunt, ſi morbus non fuerit diuturnus, ſubita difficultas anhelitus ſuperueniens, mox quieſcens, quam grauitas capitis ac dolor ſubſequitur, & grauis ſomnus ac ſurditas: huic enim in glanduloſa carne poſt aures, neceſſe eſt abſceſſum fieri: ſi verò morbus diù durauerit, neq; vllum ex his ſignis affuerit, ſed in aliquo ex locis inferioribus vel grauitas, vel tentio, vel inflammatio, vel dolor apparuerit, huic abſceſſus ad partes inferiores eſt expectandus.

XC. *Vtrum in criſibus quæ per excretionem ſan*

guinis ex naribus futuræ sunt, præsciri possit, ex qua nare fluxurus sanguis est? an certum est, quòd quum ad latus diuersum sanguinem fluere, non sit bonum, secundum directum verò bonum (vt Hippocrates docet, & experientia monstrat(si in dextro hypochondrio signa critica apparuerint, ex nare dextra sanguis profluet: si verò in sinistro, ex sinistra. Quid igitur difficile est dicere, ex qua nare profluet sanguis, quum membrum patiens exquisite dignosci possit, & crisis mos non ignoretur?

XCI. *Cur alterationes quæ ex calido & frigido consistunt, facillimæ ad curandum sunt? ęgrius verò curantur, quę in humido siccoque habentur? an quòd illæ, maximè actiuis qualitatibus corriguntur, harum verò imbecillis, & vt sic dicam, magis materialibus qualitatisbus curatio perficitur, & potissimum quum humectandum esse requiritur.*

XCII. *Quotnam numero sunt omnes corporis siccitates? an quatuor? vna etenim est siccitas, quæ prorsus consummata etiam insanabilis est, vbi scilicet solida similiarium partium substantia reddita est siccior: altera est siccitas vtique cum ea, quorum substantia ex humore concreto constat, sicut caro & adeps, sunt liquata: est etiam tertia, quum propria humiditas vnde partes nutriuntur, omninò est absumpta, continetur ea in omnibus animalis parti bus, ceu ros quidam per ea sparsus: diuersa autem ab his quarta siccitas est, quę in pro-*

prijs cuiusque particulæ exilibus arterijs venisque consistit, prouenit & hæc ex sanguinis penuria.

XCIII. *Cur asininum lac sicca intemperie ventriculi laborantibus, sicut tabidis, vtilius reliquo omni esse prædicatur? an propterea quòd tenuissimum est, & minimè coagulatur, & quoquo versus ocyssimè in corpus digeritur? eget autem horum vtriusque, cui ventriculus laborat, vtique ne cogatur, communis commodi gratia est: omnibus enim id est incommodum, vt quoquo versus digeratur, propterea quòd & celeriter nutriri est opus, & quòd viæ per quas alimentum transit, iam conniuent.*

XCIV. *Cur mel inijcere & sal, in lac, medici consueuerunt? an ne in ventriculo cogatur, lac, mel ipsi admiscent, sal verò adijciunt, cupientes ipsam ad aluum citius descendere?*

XCV. *Cur exsiccati post lauationem, oleo vngendi sunt? an, ne plus iusto digeratur, sed obstruantur exigua spiramenta, idem protinus & siccitatis remedium fuerit, & aduersus incommodũ, quod ab aëre ambiente contingit, veluti munimentum?*

XCVI. *Cur istis nec quod facillimum concoctũ sit, nec quod maximè nutriat, vt est suilla caro, quæ omnium ciborum maximè nutriens est, adhibendum est, licet maximè refici egeant? an quod maximè nutrit his, bonum non est? vtpote quibus concoquendi facultas non est, nec etiam quod facillimum concoctu est, optimum est, quum scili-*

set ipsum nequeat maxime esse nutriens.


XCVII. Sed cur maximè nutriens, concoctu facilè non est? an quòd glutinosi succi crassique existit? alioqui nec alio esse habitu potest, quod in summo sit nutriens: quippe adhærere id debet, & firmiter adiungi, non autem præ tenuitate defluere.

XCVIII. Cur valentius alimentum vesperi exhibendum est, quàm mane? an quoniam non solum quies & somnus, sed & longius tempus naturalem administrationem excipit? itaque etiam athletæ omnes faciunt, qui eum vsum non solùm aliqua ratione inuenerunt, sed etiam longa experientia comprobarunt.

XCIX. Cur post cœnam illicò bibendum non est? an quòd si bibatur, cibi innatant ita, vt eos ventriculi corpus, propter interpositum humorem non contingat? at post nutrimenti coctionem bibere, nihil vetat: frustratur itaque ciborum coctio, nisi vndequaque à ventriculi corpore cibi ipsi contangantur.

C. Quænam conualescentium ratio victus esse debet? an media inter eam quæ sanorum propria est, & quæ ægrotantium?

Finis Libri Quinti.



ALOYSII TRISSINI

Problematum Medicinalium, ex Galeni ſententia.

LIBER SEXTVS.

I. *VR medica ars tota, nunc calunniæ apud vulgum maximè eſſe videtur? an ob exercentium controuerſiam hoc ipſi contingit? Controuerſia etenim in qualicumque exercitatione, iuſtam ignorantiæ ſuſpicionem oſtendit: ſicut concordia, iuſtam, magnamque cognitionis ſpem demonſtrat: quod nimirum mathematicis diſciplinis valdè contulit: neque enim diſcipulos ſolùm alliciunt, credulosque reddunt, verùm quoq; & apud idiotas ſe ſeueriſſimas exiſtimandas præſtant.*

II. *Sed quid cauſæ controuerſiæ exiſtit in arte medica? an comparatum eſt in omnibus ijs artibus,*

tibus, quæ suorum theorematum iudicium ex particularium experimentis habent, dissidium ex distincta & indistincta rerum explicatione oriri? nempe vt artis omnis constitutio, ex propriorum à communibus distinctione oritur: & qui ista distinguere potest, is optimus censetur artifex: sic & indicatio in distinctione substantiam habet. Contingit itaque in hac arte medicos dissidere, quòd scilicet in nonnullis expertum, omnibus conuenire putant,

III. Quì nam morbi sicciores dicuntur? an morbi sicci dicuntur ij, in quibus nihil superfluitatem excernitur? an etiam sicciores morbi dicuntur, respectu loci vel membri in quo insunt? quando enim in membris spermaticis, vt venis, arterijs, neruis, & similibus siccioribus, certum est quòd dicuntur hi morbi sicci. An præterea etiam ob id dicuntur sicci morbi aliqui, quòd à siccioribus pendeant humoribus, vt qui ex bile ipsa assata? his tribus igitur modis, morbi sicciores dicentur.

IV. Quid est, quòd ad optimi hordæi, ex quò ptisana confici debet, cognitionem, indicium quod ab alendi bonitate sumitur, scientificum non est, neque perpetuò verum? quum probitatis alimentorum, potius potissima cognitio esse videatur, quòd probè alant, scire. An quum non omnes æquè ab alimento vno quopiam alantur homines, ob ipsorum diuersas naturas concoctricis virtutis, ideò efficitur, vt scientificum non sit,

nec

nec semper verum huiusmodi indicium, sed ex alijs perquirendum est?

V. Vtrum ptisana, medicamenti an nutrimenti vim obtineat? an dicendum est quòd vtriusque? nam quum materiæ aliquæ inueniantur, quæ ad nutriendum tantùm idoneæ sunt, vt panis, chondrus, & similia, quæ solùm vt cibi substantiam roborant: & nonnulla etiam dentur, quæ tantummodo medicamenti rationem obtineant, vt oxymeli, & cætera similia, quæ solum vel secare, vel humectare, vel calefacere, vel refrigerare, vel quoquo alio modo corpus nostrum alterare valent. Inueniuntur etiam & tertia nonulla, quæ eadem tum cibi, tum medicamenti naturam obtinet: inter quæ & ipsa ptisana constituitur, quæ ratione ea quòd humectat ac incidit, inter medicamenta reponitur, vt verò corporis virtutem auget nutritque, inter cibos.

VI. Vtrum in ægrotantium victu, cibandi scopus à virtute solùm sumi debeat, an etiam à morbo? & vtrum ab hoc tantummodò remediorum indicatio accipi debeat, vel etiam à virtute? an dicendum est, quòd primus cibandi scopus custodia virtutis ipsius existit? ob hanc etenim sani edimus & bibimus, aliaque omnia vitæ munia exequimur: propter hanc eandem, etiam ægri ad cibos potusque procedimus, nempe morbus, suæ affectionis indicat auxilia: virtutis verò custodia, solam indicat alimoniam. Si itaque morbosam affectionem nullo pacto offenderet alimonia,

monia, nos virtuti ſoli attendentes, ægros vt ſanos aleremus: ſed quoniam ſæpius noxam afferre videmus, ob id morbi etiam affectionem, non tanquam cibi indicatricem, ſed tanquam prohibitricem, contemplandam cenſemus. Cibi igitur offerendi indicatio, ex morbo etiam non prohibente aſſumatur: ſicut contrà, remediorum indicatio primò ab affectu corporis accipitur: ſed ſimul etiam virtus conſideranda eſt, non tanquã remediorum vſum aliquem indicans, ſed tanquam contrariò indicans modo, vel interdum etiã prohibens: nõ enim quòd æger valida ſit virtute, ob id medicamento opus eſt, ſed medicamenti indicatio ex affectu corporis ſumitur: ſic igitur patet, quo pacto ex vtrorunque indicatione vtrunque peragatur.

VII. Quænam dolorum cauſæ exiſtunt? an primæ dolorum cauſæ alteratio ipſa ac vnitatis ſolutio ponendæ ſunt? dolor enim quemcunque obſederit locum aut continuitatis ſolutionem, aut ſubitam alterationem oſtendit. An & dici poteſt, omnem dolorum cauſam ad ſolutionem continui referri poſſe? nam & caliditas diſgregando, & frigiditas condenſando, continuum ſoluere videntur.

VIII. Cur dolores calidi, vt qui præ copia caloris præter naturam in parte aliqua cum phlegmone conſiſtunt, à calidis fomentis ſolui dicuntur? an certè non ob id, quòd ſimile à ſimili tollatur, dolores hi ſoluuntur? ſed quum fomenta

ipsa calida, cutim ipsam ad perspirationes rariorem efficiant, phlegmonesque, sanguinem tum tenuent, tum per halitum digerant, efficitur, vt materia calida euacuata, quæ scilicet qualitate sua & partim per distemperantiam contristabat, & repletione distendebat, dolores cessent.

IX. Sed cur dolores interdum ex fomentis ipsis calidis augeri contingit? an tunc augentur, quum sanguis in phlegmone non diminuitur, vel etiam spiritus vaporosus ex fomentorum calore gignitur, sanguis autem non diminuitur, propter eam quæ in toto corpore est humorum redundantiam? nam pars quæ calore afficitur, plus trahit quam euaporet, nempe quæ calefaciunt suapte natura, vt hæc quæ vicinis continentur partibus, digerunt: sic & quæ redundant ex propinquis trahunt, vnde corpus totum prius insigni euacuatione aliqua præuacuandum est, quàm ad fomenta procedatur.

X. Quis nam adhibendorum fomentorum scopus existit? quum multa ipsorum genera reperiantur, nam alia fomenta prorsus humida sunt, alia sicca, & alia ex vtrisque mixta, item alia mordentia, alia mordendi facultate carentia & ex his commixta tertia. An quum scopus vnus existat perpetuus, contrariorum scilicet contraria eße remedia, dicemus humida his qui à sicco, vt bilioso succo, facti sunt doloribus, auxiliari: sicca verò his, qui à tenui aquosoque sangine exorti sunt: item morsu carentia aduersus mordentes

succos esse: mordentia verò quum tenuent, contra crassos viscososque valere humores? his igitur perspectis, non obscurum existet, quibus tumoribus vel ex ipsis factis doloribus quæ fomenta conueniant.

XI. Cur in morbo laterali dolor modò ad superiores partes, vt ad clauiculam & brachium & mammam, modò ad inferiores, infra septum transuersum scilicet, & hypocondria, molestare solet? an hoc ob differentiam partium eius, quæ costas succingit, membranæ contingit? hæc enim pars ea est, quæ inflammationem patitur: nempe superiores ipsius partes quum inflammantur, ad humerum brachiumque & mammam condolentiam extendunt: inferiores verò, ad septum transuersum & hypochondria.

XII. Cur vacuandi sanguinis terminus, coloris ipsius mutatio ponitur? an quoniam coloris sanguinis mutatio, sufficientem ex particula inflammata translationem commonstrat? nam quicquid sanguinis in phlegmone continetur, id caloris abundantia colore permutatur, reliquum autem in partibus omnibus simile manet: eamque ob causam sanguine, qui in toto spargitur corpore, pituitosiore existente, rubicundior sanè erit, qui in eo quod phlegmone obsidetur, latere continetur. Quòd si sanguis in corpus totum diffusus, rubidus fuerit, is proculdubio qui ad phlegmonem est adustus aßatusque, in nigrum permutabitur: liuidus autem, in ea quæ fit à rubro ad

nigrum

nigrum transmutatione, medium obtinet. Coloris igitur sanguinis mutatio, rectè euacuationis terminus ac mensura ponitur, vt quæ ostendat, satis ex parte euacuatum iam esse.

XIII. Quænam in purgantium medicamentorum permixtione controuersia esse potest? an non quandò aliud quidem bilis, aliud verò pituitæ excretorium fuerit? nam eodem tempore tum bilis, tum pituita vacuari possunt: sed quandò aliud protinus, aliud verò longo à propinatione tempore, purgationem mouere natum est, nempe hoc pacto inæqualis eorum quæ simul ingesta sunt, fit euacuatio.

XIV. Cur medicamentis purgantibus admisceri solent ea, quæ boni odoris sunt? an quum purgantia omnia medicamenta ventrem, præsertimque os ipsius, quod maximè tum neruosum, tum sensile existit, affligant lædantque? ob id eorum quæ boni sunt odoris mixtio excogitata est, ne sola sinceraque purgantium medicamentorum virtus, os ventris tangat.

XV. Cur consuetum relinquentibus prandium extremæ corporis partes frigescunt? an quoniam venter biliosis repletur humoribus, quorum morsu atque contristatione affectus virtutem dissoluit, corporis extrema refrigerat?

XVI. Cur hi qui consuetum prandium reliquerunt, posteà cœnare nequeunt, cibosque auersantur, quum hi maximè nutrimento egere videantur? an ob ventrem male tractatum afflictumque

que hoc ipsis euenit ? venter enim læsus ob ieiunium inopportunum, appetentiam perdit, qui & imbecillis redditus à cibo in cœna grauatur maximè, vndè & hi nocte dormire nequeuntes, ostendunt à consuetæ cibationis abstinentia omnino cauendum esse: at si qui impransi permanserint, in cœna hi copiosam alimoniam aßumere non debent, vtpotè ventriculo ob longiorem abstinentiam afflicto ea concoquere non valente, at accessione sensim crescente, non affatim hi ad consuetudinem redire debent.

XVII. Vndè nam excretionis superuacuorum promptitudinem intestina accipiunt ? an à mordente biliosο quopiam iritata, promptè ipsam excernere dicendum est ? an etiam à copioso excremento grauata ?

XVIII. Vndenam cibamdi ægros, siuè scilicet sæpius, siue rarò, siue omnino nutriendi sint, indicationes maximæ ac potissimæ à medicis accipi solent ? an ab ægritudine, & viribus laborantis ? Nam quum vires debiles fuerint, & ea quæ in corpore est dispositio, sit ex corruptione humorum vel defectu, parum alimenti & sæpius talibus afferunt: parum scilicet, quià virium imbecillitas multitudinem nutrimentorum non fert sæpius; quoniam multis indiget dispositio: defectus siquidem exigit obiectionem, corruptio verò contemperamentum. Si verò quum virium debilitate, neque defectus aliquis affuerit, neque corruptio, humores autem naturales se modicè habuerint,

rint, vel etiam superabundauerint, his rarò & pauca exhibent, & multò magis si cum naturæ robore humores superabundauerint. Si verò cum humorum defectu, vel corruptione vires validæ fuerint, tunc multos cibos, atque multoties his qui ita laborauerint præbent, vtpotè multos exigente dispositione & natura robusta potente, illos concoquere. Si verò accessiones non permiserint, neque multas offerendi alimenti occasiones præstiterint, rarò plura exhibent: at si vires validæ fuerint, cum plethorica dispositione, rarò pauca afferunt: nam & si id quod cibum debet concoquere robustum sit, quia tamen dispositio multis non indiget, rationabile est, pauca offerre. Sic igitur oportet & à morbo & à viribus ægrotantis, ad ea quæ proposuimns sumere indicationes.

XIX. Vtrum in cibationis ægrorum quantitate, ad id quod minus est, magis procedendum sit? an ad id quòd exsuperat, vbi scilicet à iusto abscedendum est? an ad id quod minus est, semper magis procedendum est, quàm ad id quod superat? nempè quod plus est, exsuperatque noxas, interdum inemendabiles facit: verùm quod minus est, facilè emendatur: nempe si virtus elabi videatur, cibi exiguum ministrare possumus: verùm si in ventrem absorptus fuerit cibus, quod redundat superfluitque si aliàs, multo magis in acutis morbis tollere difficile est. Subtrahere itaque prorsus sæpenumero expedit, quum æger sufficere possit, donec morbi vigor ad maturitatem perducatur.

XX. *Quòd nam grauius delictum existit in ægri cibatione inoportuna, id quod in morbi principio, an id quod apud vigorem committitur? an planum est grauiorem contingere ægris offensam, quũ prope vigorem erratum sit, quàm si in morborum principijs quicquam delinquatur? quæ enim in principio committuntur delicta, non similiter his domantibus renituntur, sed facilius domari possunt.*

XXI. *Cur biliosa modò concoqui poße, modò non concoqui, à medicis dici solet? an quum coctionis nomen multifariàm sumatur? vel enim coqui humores hi dicuntur, qui à natura ità superantur, vt in sanguinis boni substantiam conuersi, corpus nutrire valeant: vel, communius loquendo, dicuntur etiam concoqui ij, qui quouis modo à natura vincuntur superanturque, quibus corpus minimè nutriri potest: quò pacto pus in phlegmone coqui dicitur, quamquam pars nulla ex pure alimoniam accipiat, & non vt pituita coqui dicitur, ex qua corpus alitur: biliosa communiore coctionis appellatione coqui rectè dici possunt, altero verò modo minimè.*

XXII. *Vtrum morbi, crudi permaneant ob longam inediam, vel ob intempestiuam cibi oblationem? an certè ob vtrumque exceßum morbus crudus permanet: si enim vel diutius ægrum inanieris, calor innatus deperdetur: si verò validius intempestiuiusque repleueris, grauata magis facultate, non concoquetur.*

XXIII. *Cur intempestiuè cibatis, spiratio mala efficitur? an acto in angustiam septo transuerso, ab ea quæ in ventre continetur alimonia hoc euenit? quum videlicet neq; victa, neq; probè à ventre confecta inflationem parit, nempè tunc ob septi tramsuersi angustiam, de necessitate minus aeris inspiratur: quamquam thorax, se ea qua prius dilatabat dilatatione, dilatet. Ergò quòd nunc aeris deest priori qui inspirabatur, id est deficientem diminutumque respirationis vsum facit, atque ob eam rem animal maiorem respirationem facere cogitur, vel frequentiorem, vel vtranque.*

XXIV. *Quid est quòd symptomata quædam circa morborum initia aduenientia, delirium graue vehemensque, & vt plurimum etiam mortem denunciant, & eadem prope morbi vigorem apparentia, bonum indicant? an quoniam prope morbi vigorem indicationem futuram, constantibus in morbis significant, in principio verò indicationem non denunciant, quum nihil in principio iudicari possit? Quoties etenim natura ad excretionem properat effatu digna, in corpore fit permutatio, ob quam symptomata talia cum manifestissimis coctionis signis apparent; quum verò perturbatio efficitur, nullo à natura ad infestantium excretionem facto apparatu, tunc periculosissimum est signum.*

XXV. *Quanam principe facultate patiente, quum tres hæ in vniuersum sint: vna scilicet in neruis, quæ principium habet cerebrum: altera in*

lar-

arterijs, cuius principium eſt cor: tertia in venis, quæ ex hepate oritur, citius mortes ſequuntur? an velociſſimæ ſiunt corde patiente mortes, deindè affecto cerebro, tardiſſimæ autem ab hepate prodeunt?

XXVI. *Quænam ſubita ad contrarium mutatio grauioris noxæ eſſe ſolet, ea quæ ex repletione ad inanitionem fit, vel quæ ab inanitione ad repletionem tranſit? an mutatio quæ ad plenitudinem fit, ſubitò ex inanitione, grauior eſt ea, quæ ex multo cibo ad vaſorum inanitionem vertitur? quòd ſcilicet grauatus venter ac plenus, non ità facilè emendatur vt inanitus: nam ſi ob inanitionem virtus deficere videatur, exiguo cibo miniſtrato refici ſtatim poteſt: at ventris plenitudinem grauitatemquè tolli, non ità facilè eſt: imò & quandoquè prius ſuffocat quàm emendetur, longiori requiſito tempore ad ſanationem.*

XXVII. *Quotnam quæue ſunt omnes vinorum differentiæ? an vna ipſorum differeutia in colore conſiſtit, alteram qualitas in guſtu facit, tertia conſiſtentiam reſpicit, quartam odor progignit, & quinta in virtute reperitur: tot enim eſſe videntur vinorum differentiæ? an & ſexta, quæ ex tempore deſumitur? per accidens tamen differentia adijci his poteſt, qua ſcilicet alia vetuſta vina ſunt, alia recentia, & alia quæ in medio horum conſiſtunt.*

XXVIII. *Vtrum omnis vinorum differentia propriè, ex ſe iuuare lædereque nata ſit? an*

non omnis, sed illa tantùm quæ in sapore, in virtute & consistentia reperitur, duæ verò reliquæ non? differentiæ enim quæ tum colore, tum odore desumuntur, non primùm, sed per accidens vel lædere, vel iuuare dictæ sunt.

XXIX. Cur vinum dulce hepati affecto maximum adferre detrimentum solet? an quòd vinum huiusmodi pro substantiæ crassitie (neque etenim tenue exquisitè, sicut nequè album vidisti aliquando vinum dulce) tardè meat? quapropter obstructiones adauget, ob idque hepati affecto, præsertimque vbi vel phlegmone vel scirrhus occupauerit, maximam infert noxam.

XXX. Quænam medicamenta ad crassorum viscosorumque humorum expuitionem conferunt? an melicratum ad crassiorum humorum expuitionem est conuenientissimum, oxymeli verò ad viscosorum? post melicratum autem ptisana est, atque ab ea vinum dulce, si coctis iam tum peripneumonia, tum pleuritide propinetur, idque non vexatis inflammatione corporibus: madefactione etenim & humiditate extersioneque huiusmodi, succi opus habent: sed si vinum huiusmodi epotum sitim faciat, ad expuitionem minus idoneum redditur, sicut & vbi supra modum crassum fuerit. Sed vt vno absoluatur verbo, vinum dulce in acutis morbis ad expuitionem, tum propter dictas operationes, tum propter communem vinorum omnium rationem, qua vires roborant, idoneum existit, & mximè, his qui quæuis humida quæ tum

in

in thorace, tum in pulmone continentur, expuunt.

XXXI. *Quòd nam ex vinis omnibus innocentius febrientibus exhiberi potest? an aquosum ipsum, quod etiam post vinum dulce, quod omnium maximè sputum educit, ad eorum quæ in pulmone sunt eductionem, conueniens est? febri autem quod vehementer calidum est, prauum est auxilium, vt fuluum vinum.*

XXXII. *Cur vinum album & austerum, his quæ ad ventrem fiunt destillationibus, idoneum est? an quòd minimè calidum inter vina existit, & adstringens est? austerum enim, adstringens modicè est, vt acerbum validè.*

XXXIII. *Cur vinum dulce, quod efficacius omnibus sputum educit, quando sitim facit, minus educit? an ratione caliditatis ac conuersionis ipsius in bilem? nempe febrilis calor, in his qui vinum hoc biberunt tum morosior, tum maleficentior efficitur, sputumque siccat, crassiusque & viscosius ipsum reddit, quod difficile deindè educitur? Dulce igitur vinum, quibus sitim non facit, his vino alio omni magis educit: quibus verò facit, minus.*

XXXIV. *Quòd nam inter vina, calidius vinum existit? quòd vè minus? an summè calidum, flauum est, ab ipso verò fuluum, mox his ab his rubrum, & deindè dulce? Album autem minus quidem his omnibus calefacit, nempè ex vinis albis, nullum valenter calefacere potest.*

XXXV. *Quibus nam seruatis vinum austerum fuluum nigrumque in vsu in acutis morbis esse potest? an si neque grauitas capitis fuerit, neque mentis concussio, neque sputo via concludatur, neque teneatur ruina & excrementa ipsa humentiora vel plura iusto descenderint & ramentosa fuerint, tunc ad huiusmodi vinum migrandum est.*

XXXVI. *Cur adstringentia vina ab aqua admixtione exoluuntur labefactanturq;, quum aqua ipsa frigiditatis ratione, adstrictionem potius adiuuari debere videatur? an quum adstringentia omnia, consistentia crassa ac terrena sint, non mirum si ab aqua, quæ contrariæ est consistentiæ, vina hæc exoluantur corrumpanturque, nec acqua vino admixta innata obtinet frigiditatem?*

XXXVII. *Cur melicratum, hoc est mulsa, in amaræ bilis hominibus (picrocholos Græci appellant) vt plurimum, & his quibus tumefacta sunt viscera (megalosplanchnos hos iidem nominant) minus quàm alijs idonea in acutis existit? an quoniam in illis facilè bilescit? in his verò citò pertransire viscera non potest, vnde etiam facilè bilescit, præsertimque in phlegmonis, propter caloris magnitudinem.*

XXXVIII. *Cur mulsa minus quàm vinum dulce, siticulosa existit? an quum tenuior penetrantiorque sit, citoque omnia subeat? ea ratione minus vino dulci est siticulosa, nec enim ita facile in bilem vertitur.*

XXXIX. *Cur tusses mulsa mitigat, oxymeli autem incitat? an quum hæc vehementer non detergat? minima enim detersoria facultate mulsa prædita est: præsertim aquosa dilutaque, non iritat, nec asperat partes, sed lenit, qua re oxymeli priuatur: nempe oxymeli tußes incitat tum iritans, tum asperans, quatenus scilicet vehementer detergit.*

XL. *Cur mulsa vrinas abundè mouet? an quòd vias omnes, quæ ventrem renesque interiacent, facilè penetrat.*

XLI. *Cur hæc vbi iecur malè afficitur, vsui haud quaquam conuenire videtur? an quòd si quandoque penetrare non valet, bilescit?*

XLII. *Cur autem lieni si phlegmone obsideatur, molesta est, quum per ipsum non transmeet? an quòd à phlegmonis ipsius caliditate attracta, ignescens, in bilem conuertitur?*

XLIII. *Quibus nam in febribus mulsæ potio aduersissima nocentissimaque eße solet? an in illis quæ liquefaciunt, & ad tabem perducunt, veluti modo contrario potio aquæ frigidæ, eis est iuuantissima?*

XLIV. *Cur meracior mulsa ad sputi eductionem minus, ad ventris verò deiectiones magis idonea existit? an quòd meracior, in qua scilicet plurimum mellis admixtum est, sitim facit, & viscosum reddit sputum? atquè ob eas re aquosior ad sputi eductionem, atquè etiam ad penetrationem vrinarum idonea magis existit? ad ventris*

tris verò deiectiones apta magis meracior est, quòd ventrem magis proritat, vndè & magis & velocius subducit,

XLV. Cur mel ventrem ad deiectionem excitat? an quoniam tenuium partium est, & necessariò etiam acrè sentitur, itaque aluum ad excretionem proritat?

XLVI. Vtrum aqua nutriat? an dicendum est, quòd nullo pacto nutrit aqua? si se interdum hæc vires recreare videtur, non vt alimentum id facit, sed vt medicamentum ad temperamenti symmetriam, quæ propter ipsius immoderationem imbecilla sunt, reducens: quandoquè autem euenit, eo quòd corporis ariditas aqua irrigatur, vt diù qui ipsam bibunt ægri, magis durent, quàm qui nihil aßumunt, & propterea aliquam nutriendi vim habere videtur.

XLVII. Vtrum in mulsa aqua, melli viam paret? an aquæ mel? an certum est, & melli aquam, & aquæ mel viam parare, & ad distributionem agere? aqua enim frigida existens, mellis caliditate eget ad penetrationem: frigida enim non facilè penetrat, mel verò crassum existens, aquæ tenuitate etiam indigere videtur.

XLVIII. Quænam vini aquosi & vini vinosi generationis differentia existit? an aquosum vinum leuissimam in ligno vitis habuit transmutationem? leuissimam quoquè & elementi terrei permixtionem, quod vt aqua foret, paulùm terrei calidæque substantiæ occupauit, atquè in horum

coniunctionem leuissima indiguit confectione: contrarirum autem vinosam, neque à leui coctione tale efficitur, vtpotè quòd ab aqua longissimo recedat interuallo: quò factum est, vt insignem hoc consequutum fuerit tum caliditatem, tum odorem.

XLIX. Cur vino albo, tenui, paucifero, & inodoro, quod aquosum vinum est, mulsa, quodammodo fortior, & quodammodo infirmior dicitur? an quòd mulsa hæc meracior, illa aquosior est: meracior enim mulsa, fortior est, dilutior verò, infirmior.

L. Cur mulsa ante ptisanæ sorbitionem assumi debet? an quòd mulsa post ptisanæ sorbitionem epota, valdè replet, inflat, & hypochondriorum visceribus est inutilis: sed si ante sorbitiones bibatur, non vt superepota lædit, sed iuuat: perpetuò enim hoc obseruandum est, prius scilicet ingerenda esse quæ & facilius corrumpuntur, & quæ subducuntur magis, posterius verò contraria. Ptisana autem quàm mulsa difficilius corrumpitur, & descendit tardius: si ergò mulsa primò sumpta fuerit, ex ea quædam ptisanæ ad deiectionem fit prouocatio: verùm si ptisana primùm sumpta fuerit, subduci mulsa prohibetur, ideoque inflat hypochondria: atque tandem in bilem conuersa, ptisanæ detrimentum affert.

LI. Cur à cibi & potus sumptione, confestim nullus vti balneis debet? an quoniam caput repletur ei, qui biberit? qui verò cibum sumpserit, huic non caput modò, verùm, & corpus totum

ali-

elementorum sensibilium, sed ut ad sensum & usum syncera est.

LVI. Cum acetum sanguinis fluores cohibet? an quoniam adstringens est?

LVII. Cur ab aceto epoto interim quidem sitim augeri, interim verò sedari contingit? an quum sitis duplici ratione prouenire soleat, partim scilicet humoris inopia, partim caloris copia, mirum videri non debet, si priorem sanare acetum nequeat, alteram possit, siquidem humectare nequiuit, at refrigerat non instrenuè? quapropter neque à sicca dispositione prouenientem sitim, neque à calida & sicca vnquam sanare queat epotum acetum.

LVIII. Vtrum sitis à caliditate simul ac humiditate coëuntibus prouenire possit? an licèt rara eiusmodi sit affectio, nonnumquam tamen, vt in aqua intercutem affusionibus, περιχύσεις Græci vocant, prouenit? congesta nimirum in ventre salsi humoris copia, tum etiam si quibus pituita salsa ventri illita inhæserit, & huiusce sitis optima medela acetum est.

LIX. Cur salsuginosa cacochymaque sæpenumero morsui medentur, dulcia verò temperantiaque medicamenta (ἐπικεραστικὰ Græci nuncupant) aliquando morsum exasperant? an illa morsui medentur ex accidente, secum scilicet quòd mordicat, educentia, non autem temperationis ratione? Dulcia verò & epicerastica morsum aliquandò exasperant, etiam ex accidente, nimirum quum

vnà corrumpantur & foueant, alantque cacochymiam. Hæc enim ſicut vbi valentiora fuerint humoribus mordicantibus, morſum eorum retundunt: ità vbi aut valentioribus facultatibus, aut multis pauca mixta fuerint, vnà & ipſa corrumpuntur aluntque ſucci malignitatem: quamobrem protinus euacuandi ſunt, qui ab his, quæ temperandi naturam habent, irritantur atque aſperantur, vtpotè qui multa nec facilè mobili corruptione ſint repleti.

LX. Quibus nam indicijs ac notis cognoſcere possumus an exaſperans medicamentum & mitigans, ex ſe tale ſit, an ab eo quod per accidens eſt? an quatuor indicijs talium facultates inueniemus? primum indicium eſt, an ſtatim mitiget, an non: ſecundum, an intus maneat ſanando, vel non: tertium, an aſperitatem quandam in corporibus relinquat, an non: & quartum, an non ità affectis vtile & commodum videatur? nam quum nec protinus mordicationem ſanat, verùm maiore cum vehementia excernitur, neque intus medendo remanet, & moleſtam corporibus aſperitatem relinquit, quam ſi denuò offeratur, exaſperat: argumentum eſt rodentis ac mordicantis naturæ eſſe: cæterùm ex accidente quandoque morſus ſanare, at quod & continuò mitigat, & nullam excretionem prouocat, ſed nec exaſperat, dum intus manet, imò exaſperatorum medela exiſtit: ipſum quidem natura bonum eſt, verùm interdum, à cacochymia, quæ ipſum alterat corrumpitque, mordax efficitur.

LXI.

LXI. Quid causæ est, quòd si in frigore ingenti digitum quis in aquam gelidam repentè immittat, tota interim manu horrebit, sæpenumerò verò & corpore toto? an quòd affectio ipsa, ex ea quæ primò affecta est parte, semper in reliquum corpus diffunditur, veloxq́ue fit in corporibus sensibilibus per totum animal diffusio?

LXII. Quamobrem, quum qualitatum proprietatibus attractiones perficiantur, purgantia medicamenta humores potius familiares attrahunt, neq́ue tamen ipsa à familiaribus attrahuntur? an quòd valentiora sunt purgantia medicamenta, sicut trahere potius quàm attrahi sint idonea?

LXIII. Quònam modo frigidum corporibus nostris mordax apparet, quò ve differt ab ijs, quæ caliditate mordicant? an frigidum continuum diuellendo, contrahendo, condensandoq́ue mordax existit? at calidum dissoluendo, segregando, fundendoquè substantiæ continuitatem erodit mordicatq́ue.

LXIV. Quænam edulia præparatione indigere solent, quænam minimè? an ea quæ nutriendorum corporum temperaturis similia sunt, non indigent? dulcia enim sunt, dissimilia verò præparatione indigent.

LXV. Cur amara minimè omnium putrescunt? an quoniam maximè sicca sunt? quapropter etiam nec vermes, nec animalia, qualia in radicibus hærbisq́ue ac fructibus putrescentibus prouenire solent, hæc procreant: maximè namq́ue vi-

demus

LXIX. *Quanam triplicis synochorum febrium differentiæ causæ existunt? nam aliæ ab initio vsque ad finem æquales semper persistunt, aliæ paulatim crescunt, aliæ paulatim decrescunt: ac masticas vel homotonus, & epacmasticas, & peracmasticas Græci nuncupant. An in causa huius rei est humorum feruentium vapor retentus, qui & febris perseuerantiæ causa est? nam vel pari ipsius permanente magnitudine, ea quam in prima accessione summam habuit, vel etiam adijciente semper exiguum aliquid, diminuenteue, vel æqualiter, vel inæqualiter, tres has esse in synochis febribus differentias, necesse est: nam si quod accenditur vaporis, ei quod transpirat par fuerit, nec augeri, nec minui febrilis calor cernetur, sed perinde sibi similis permanebit, ac si nihil illi adijceretur, aut demeretur: quippe ad æqualitatis custodiam nihil interest, seruetur ne eadem assiduè substantia, an ei quæ enacuatur par sit ea, quæ adijcitur: verùm si altera earum vicerit, vtique si quæ vacuatur, minui febrem necesse est: sin quæ adijcitur, omnino increscere.*

LXX. *Cur synochorum febrium neutra (nam harum duplex est natura; quædam enim manifestas habent putredinis notas, quædam prorsus sine putredine sunt) in gracili & frigido corpore consistere reperitur, sed plurimum in his, qui sanguine abundant, & corpulentis gigni cernitur? an quòd neque obstructio citra pu-*

tredinem excitare febrem valet, nisi id quod transpirat, & copiosum sit & calidum, nec humorum putredo in omnibus, quæ inter inguina, & alas intersunt, venis, æquabiliter ac citò porrigi in frigido habitu potest? debent enim quæ putrescunt tum calida humidaque esse, tum verò difficilem transpirationem habere: eoque fit, vt neque in frigida ætate, nec frigido corporis temperamento, siue id ab initio consistat, siue modò frigidum factum sit, continens excitetur febris.

LXXI. Qualisnam synocho laborantibus pulsus esse solet? an maximus, æqualis & vehemens? æger enim dum calidus vel natura sit, vel acquisititio temperamento, & carnosus, & bono & multo sanguine affluens, & denso corpore, aut etiam calidis excrementis refertus, meritò talem habere pulsum debuit.

LXXII. Cur festinandum in his præcipitur ad sanguinem detrahendum? an vt venarum natura transpirando ventilandoque naturalem temperiem seruans humoribus, eo, quo inter initia modo dominetur, quando si ad intemperiem versa laborabit, metuendum est ne hi putrescant? excitatur autem intemperies in ea ex febris calore, quem si quando rudis quispiam medicus auxit, non vacuata stipationis causa in incerto reliquum omne remedium est.

LXXIII. Quid est quod mulieres ambabus pariter vti manibus (ambidexterum appellant)

lant) natura valentes non sunt ? an si ambidexterum fieri quibusdam tantummodo viris ob neruorum ac musculorum robur contingit, non sine ratione ob naturæ imbecillitatem hoc nulli eueniet mulieri, quæ satis habet, si sola dextera modicè vtatur ?

LXXIV. Cur obscenæ partes ex quacunque occasione putrescere maximè natæ sunt ? an ob ipsarum humiditatem ac caliditatem hoc ipsis euenit ?

LXXV. Quamobrem anginæ aliæ in faucibus, aliæ in gutturis partibus affligere homines natæ sunt ? cynanchas has, illas, qui circa nomina admodum solliciti sunt, synanchas appellant, licet de C & S literis disserere nihil iuuet. An quum aliæ à glutinosa frigidaque fluxione, aliæ à calida acrique magis fieri soleant ? non mirum si gutturis venis, multò quàm faucium strictioribus existentibus, materia crassa frigidaque, quæ in angustas venas non ingreditur, in capacioribus tantum detineatur, sicut quæ tenuis est, latis promptè penetratis, in angustioribus: iure itaque fit, vt quæ à crassa materia anginæ fiunt, in latioribus faucium venis consistant: quæ verò à tenui, in strictioribus gutturis.

LXXVI. Sed quænam harum, curue exitiosior angina est ? an quæ in gutture constat, periculosior est ? vbi enim hæc affligit, aspera vlceratur arteria, inceditúrque pulmo, neque

externum aërem admittere intrò patientes queünt, vt quæ ex calidis acribusque existat humoribus, & æstiuo potissimùm vigens tempore vel autumno, sicut prima hyeme & vere.

LXXVII. *Cur animal in respirationis priuatione mori contingit? an ob aëris penuriam, quòd scilicet spiritus animalis ex aëre nutritio deficiat? an potius, quòd calor natiuus tum refrigerio, tum ventilatione destituitur? maior enim vsus esse videtur respirationis in siti caloris custodia, quàm spiritus animalis nutritio.*

LXXVIII. *Cur purgationes coctionibus aduersantur? an quum moderata calfactione & quiete coctiones, vt rectè perficiantur, egeant? non mirum si purgationes, quæ & vehementer corpus mouent agitantque, & calorem excitandi vim habent, ventremque lædunt affliguntque, contrariæ coctionibus existant, eisque aduersentur.*

LXXIX. *Cur ægrotantes lecto molli conquiescere, & quàm minimè sese proijcere atque iactare, maximè iuuat? an quoniam hoc morbi totius concoctionem adiuuat? an & quòd virtutem ipsam conseruat?*

Finis Libri VI. & Vltimi.

213

PATAVII,

Apud Variſcum Variſci
ad Puteum Pictum.
M. DC. XXIX.

Superiorum permiſſu.

INDEX MEMORABILIVM.

A

Caco-

C.

D

E

F

more

G

H

Di-

L

M

Morbi

Muſcæ

Nerui

O

P

Partes

Billi-

S

Sicci-

V

Vrinæ

Vulne-

FINIS.